VITT EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
24/E
34

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Y, 24. E. 94

SYNTAGMA SEV TRACTATVS RITVVM SACRORVM ET MYSTERIORVM

Quæ in Sacroſancto, ac tremendo ſacrificio Miſſæ geruntur, & obſeruantur.

AVCTORE
IO: ANTONIO PALLOTTA
S.Theol. D.& Eccleſiæ Cathedralis Tuſculanæ Archipresbytero.

Opus tum ceteris fidelibus vtile, tum Sacerdotibus neceſſarium.

ROMAE
Typis Maſcardi. 1641.
Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

EMIN.MO PRINCIPI
MARCELLO
LANTI
EPISCOPO CARD. OSTIENSI
Sacri Collegij Decano

IO: ANTONIVS PALLOTTA F.

NOSTRVM hoc de ſacris, in ſacro peragendo, ritibus Syntagma, ne veluti rudis quædam, & informis abortio ex compreſſa mentis aluo in proſcenium præcipiti editione prorumperet, ſed vt iam grandis, ac præmaturus fœtus ex laxato ingenij vtero, inceſſu graui in orbis theatrum prodiret, anxius diù, multùmque elaboraui, Eminentiſſime Princeps. At vbi primum in auguſtiſſima Gentilitij Tui Stemmata oculos inieci, feliciſſima, ſub quibus lucis vſuram conſequeretur, auſpicia mihi longè quærenda minime fuere: Albæ enim Aues, illæque Regiæ (vt potè Aquilina proles) illico occurrerunt, quæ, dum iam deſpicientes & Cœlum versùs rectà

Digitized by Google

pergentes, iter non intermiſſuræ videntur, donec ſubliminori adepto Empyreo, immota illæſaque oculorum acie fulgentiſſimum Solis iubar intueantur, Te ipſum adamuſſim repræſentare mihi viſæ ſunt, cuius celeberrimum nomen, veluti facem quandam labori huic noſtro appoſitiſſimè prælucere, ſtudioſiſſimus eligerem. Quippe qui incruentum ſacræ Victimæ ſacrificium in dies oblaturus, quaſi Cælum rectâ petiturus altare petens, Sacerdotibus omnibus in ſacroſanctis myſterijs pertractandis, nec non in ſacrarum cæremoniarum cultu ritè, ac rectè exequendo, exemplar Te te præbes luculentiſſimum; non enim tumultuaria aulicorum caterua præeunte, ſed oblonga cæleſtium meditatione præmiſſa, non mente à ſæcularibus curis eminùs abducta, ſed animo myſterijs cominùs adiuncto, non concitato greſſu, ſed cohibito inceſſu, lentoque gradu è familiari tibi ſeceſſu ad ſacram aram, tanquam Dei faciem fixis oculis inſpecturis, tremens, ac venerabundus accedis. Propterea meritò quidem celebraturis Sacerdotibus proprias partes exactiſſimè peragere cupientibus, non opus hoc noſtrum ſæpius perlegendum, ſed Te ipſum tantùm ea in re ſemper imitandum proponimus: quippe qui Sacra faciens ingens ſacris ritibus ornamentum ampliſſima Maieſtatis habitudine præſtas. Manum nos (audaciſſimè forſan) in abditiſſimum Dei ſacrarium iniecimus, eam expoſitionem aggreſſi,

quæ

Digitized by Google

quæ hominem verè diuinorum compotem iure merito vendicarent, Tu nihilominus Sacrorum Antiſtes eximius, ſi temerè vlteriùs, quàm par eſt, præterfluxit, aditum poteris prohibere, vel ſi quid altius elata deliquit, animaduertere, vel etiam, ſi quid inde lucri ſubduxit, arcanis ditatam mercibus ad reditum opportunè iuuare non dedignaberis. Tuam profectò nouimus humanitatem, pietatem, atque clementiam non ſemel experti ſumus omnes quot quot ſub Te vigilantiſſimo Paſtore ſacris operam rebus nauantes Tuſculanæ nomen Eccleſiæ dedimus. Plurimum me Tibi debere, fateor, quòd agminatim beneficijs, illiſque maximis cumulare quotidianus non deſiſtis, ſed ſi perexiguum diuinorum myſteriorum volumen, quod Tibi tanquam euidentiſſimum ſummæ in Te meæ obſeruantiæ argumentum humillimus offero, benignus exceperis, maximus ad priſtina tua in me ſtudia cumulus accedet. Vale.

PRÆ-

Digitized by Google

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

INCRVENTA Sacratiſſimæ Ieſu Chriſti Paſſionis memoria tot tantiſque vndique ſcatet myſterijs (ſicut mare aquarum guttis, ſicut Sol atomis, ſicut firmamentum ſtellis, ſicut Cælum empyreum Angelis, vt Compendi.Theol. lib.6.c.18.) vt ad illam non ſine maximo cæleſtium donorum incremento recolendam, reuerentiuſque pertractandam, Sacerdos quotidianâ, illaque accuratiſſima contemplatione præmunitus, pacata mente, compoſito honeſtè corpore, tremebunda ornatus reuerentia, & humilitate, & non oſcitanter accedere debeat. Illud autem in primis ſibi præcauendum puto, ne tam ſacrorum myſteriorum penitus ignarus id peragat. quandoquidem diuinorum ignorantia, vt reuerentiam arcet, ita deuotionem euacuat, & mentem ita aliò abducit, vt penitus alienet, & Deus non ab homine, qui dicta percipit, ſed veluti ab aue Pſittaco, qui non intellecta depromit, laudari videatur. Diligentiſſimus ergo iſthæc cognoſcere, ac percipere ſtudeat, ne in illud, quod Magnus Eccleſiæ Doctor Gregorius imperitis comminatur, impingat: Qui ea, quæ Dei ſunt neſciunt, à Domino neſciuntur. Apoſtolo teſtante 1. Cor. cap. 14. Qui ignorat ignorabitur, à Deo nimirum, præſertim iuxta additionem Lyrani in poſtilla 1. cap. cit. ſi ex negligen-

tia,

Digitized by Google

tia, vel malitia ignorat illa, quæ ſcire tenetur; à quo quidem periculo, vt ſaltem minus eruditi cauere poſſint, id oneris ſuſcepi, hoc eſt Rituum ſacrorum, ſeu cæremoniarum, ac myſteriorum, quæ in ſacroſancto Miſſæ Sacrificio fiunt, & obſeruantur, ſignificationem, & explicationem, non meo quidem ſenſu, ſed iuxta doctrinam ex ſacris Canonibus, Summorum Pontificum Conſtitutionibus, ac Decretis, aliĳſque catholicis Doctoribus excerptam in medium proferre ſtudui. Scholaſticas ſubtilitates, quæ ſua profunditate ſimplicium Sacerdotum ingenia vel terrent, vel certè confundunt potiùs, ſtudioſus omiſi, illas doctoribus perſcrutandas relinquens, nec extra chorum (vt aiunt) ſaltare exiſtimandus ero, benigne Lector, ſi nonnullas quæſtiones à ſcholaſticis eruditiſſimis ventilatas tetigero; quia reſolutiones tantùm illarum breuiſſima facillimaque methodo adducam. Qualecunque igitur ſit iſtud opus, patiens legito, & ſi quid vtilitatis ex eo te percepiſſe cognoueris, vel boni inueneris, Deo gratias agito, à quo omne bonum procedit; ſi quid verò guſtui, vel captui tuo minus aptum deprehenderis, ſiue ob ſtili humilitatem, ſiue quod penes alios authores hæc eadem te legiſſe memineris, ingenĳ imbecillitatem benignus excuſa, illudque deprecor, vt immotum, fixumque memoriæ tuæ hæreat. Nihil dictum, quod dictum non ſit prius. Vale, Deumque pro me exora.

Impri-

Digitized by Google

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſſimo P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Io: Bapt. Alt. Ep. Cam. Vicesg.

EX commiſſione Reuerendiſſimi Patris Mag. Sacri Palatij Apoſt. diligenter perlegi librum hunc, qui inſcribitur Syntagma ſeu tractatus rituum ſacrorum vel ceremoniarum, & Myſteriorum, quæ in ſacroſancto Miſſę ſacrificio fiunt Io: Antonij Pallottę Romani, nihilq; in eo inueni, quod bonę doctrinę vel moribus aduerſetur. Dat. ex Collegio Sanctæ Crucis in Hieruſalem de Vrbe, die 28. Septembris 1639.

D. Attilius Petra Sancta Monachus Ciſtercienſis in dicto Collegio Sacræ Theologiæ Lector.

Imprimatur.

Fr. Io: Vincentius Morenus de Mutina, Mag. & Socius Reuerendiſſimi P. Mag. Sac. Apoſtolici Palatij.

Digitized by Google

F. ANTONIVS DIOTENVS VIC. GEN. TVSC.

AD AVTHOREM.

SVNT quos aſſueti bello, Martique ſorores
 Parnaſſi ad culmen ſæpe vocare ſtudent.
Siue canat Clio fatalia funera Troiæ,
 Siue lacertoſa bella peracta manu.
Sunt quos ingentes calamo tractare loquaci
 Exacti giros temporis, vſque iuuat.
At melius te Numen agit, dum ſacra recludis
 Myſtæ, dum græcum fundis ab ore melos.
Dogmata vana ſacris cedant, ficititia veris,
 Illos Phæbus amat, te magè Numen amat.

IACOBVS PHILIPPVS RAFFIVS
Canonicus in Eccleſia Cathedrali Tuſc.

AD AVTHOREM.

SACRA virum ſacro precingite numina lauro
 Maximus effulſit quodue refulget opus.
Eſt operis peragenda viris ſacrata peritis
 Norma rei ſacræ, Iure timenda viris.
Iſtud opus pulchra Pallotti Pallade pollens
 Noſcit multa, canit multaq. multa notat.

CAROLVS HIERONYMVS BVTIVS.

AD AVTHOREM.

FORTVNATE liber non te nigra ſepia tingit,
 At ſacra diuini ſanguinis vnda notat.
Num calamo ſcripſit fidei monumenta verendæ
 Religio, teli an cuſpide ſcripſit amor?
Si penna hæc fudit, pennati fudit amoris
 Telum, nam placido vulnere corda ferit;
Scripſerunt ambo penna, qua libera poſſit
 Mens ad Sydereas veſtra ſubire plagas.

FRANCISCVS MAGNONVS.

AD AVTHOREM.

IRRADIANT ſacris Myſtæ fulgoribus orbem,
Et ſoli in terris nomina Solis habent.
Sed tua Myſtarum dum luſtrat lumina mentes
Pagina, & ignauas diſijcit vſque notas.
Qualis erit? vel quo ſe digno nomine iactet?
Num ſolem illuſtras lumine maior erit?
Felix ingenium, quod tantæ lucis honores
Parturit, hoc certè numinis inſtar erit.

FRANCISCVS ANTONIVS BVTIVS
Tuſculanus In librum inſcriptum Syntagma myſteriorum Miſſæ.

EPIGRAMMA.

CHRISTI clauſit opus, myſteria quælibet vnum:
Quælibet hoc vnum myſtica claudit opus.
Authores non eſſe pares hinc diſcite tantum;
Archetypum Chriſtus condidit, iſte typum.

ALIVD.

PERLEGE, qui reſerat mactati Arcana Tonantis:
Hic radios cernes, & ſine nube, Dei.
Cernere detecti diuina incendia Solis
Si beat; hoc diſcas corda beare libro.

HIE-

HIERONYMVS PALLOTTVS
Tuſc. Monacus Ordinis S. Baſilij Magni.

Ἰαμβεῖον.

ΛΕιτουργίαν ἔδειξεν Ἰησοῦς πρῶμος
Ἀπόστολοι κήρυξαν αὐτὴν ἐνθέως
Σοφῶς δὲ ταύτην ἐκφράσει τίς; Παλλότας
Πάλην κατ' ἐχθρῶν, εὐσεβῶν δὲ παλλίον.

Iambicum.

MISSAM docuit Ieſus primus
Apoſtoli annunciarunt ipſam diuine,
Sapienter, ſed explicabit quis? Pallottus
Luctam contra hoſtes, piorum, & brauium.

FVLMEN erit Calamus, quo fama accenſa nitebit,
Quo facilis clarum tollet in aſtra caput.
Fortunatæ ò penna manus? proh dextera felix!
Felices ambæ, dum ſimul aſtra petunt;
Fama dedit pennam, facilis dum dextera ſcribit,
Et famæ pennas addidit illa tuæ.

Aliud.

DVM reuocant alij fugitiui temporis orbes,
Inuictaque canunt bella paracta manu,
Tu calamo reſeras Miſſæ monumenta verendi,
Scriptaque diuino ſanguine carta tulit.
Vana tibi cedant muſa aſpirante canentes
Illos Phœbus amat, te mage Numen amat.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM

In hoc opere contentorum ex ordine.

LIBER PRIMVS.

DE Mißæ definititione. Cap.I. pag. 1
De Miſſæ Inſtitutione. Cap.II. 5
Qualis, & quanta fuerit Miſſa in prima ſui inſtitutione. Cap.III. 8
De loco celebrandi Mißam. Cap.IV. 9
De tempore celebrandi Mißam, Cap.V. 14
De veſtibus Sacerdotalibus. Cap.VI. 18
De Altaris præparatione. Cap.VII. 22
De præparatione Sacerdotis celebraturi, Cap.VIII. 29
De præparatione calicis. Cap.IX. 36
De Materia conſecranda in ſacrificio Miſſæ, id eſt de pane, & vino. Cap.X. 43
De his, quæ Mißæ addita ſunt ab initio naſcentis Eccleſiæ vſq; ad præſens. Cap.XI. 48

LIBER SECVNDVS.

DE omnium, quæ in Miſſæ ſacrificio adhibentur, & primo de ſacrarum veſtium ſignificatione. Cap.I. pag. 67
De calicis ornatu. Cap.II. 73
De ſignificatione eorum, quæ Altare ipſum exornant, & in ſacrificio Miſſæ adhibentur. Cap.III. 77
De primo Sacerdotis acceſſu ad Altare. Cap.IV. 83
De ſecundo Sacerdotis acceſſu. Cap.V. 87
De Kyrie eleiſon. Cap.VI. 90

De

Digitized by Google

De Gloria in excelſis. Cap. VII. 92
De Dominus vobiſcum. Cap. VIII. 95
De & cum ſpiritu tuo. Cap. IX. 96
De Orationibus, quæ collectæ dicuntur. Cap. X. 99
De Amen. Cap. XI. 104
De Epiſtola. Cap. XII. 105
De Deo gratias. Cap. XIII. 108
De Graduali. Cap. XIV. 109
De Alleluia. Cap. XV. 110
De Tractu. Cap. XVI. 112
De Sequentia. Cap. XVII. 114
De Euangelio. Cap. XVIII. 116
De Credo, ſiue Symbolo. Cap. XIX. 120
De Offertorio. Cap. XX. 123
De ablutione manuum. Cap. XXI. 127
De inclinatione Sacerdotis, & oſculatione Altaris. Cap. XXII. 129
De Orate fratres. Cap. XXIII. 130
De Oratione, quæ dicitur ſecreta. Cap. XXIV. 132
De Præfationibus. Cap. XXV. 134
De Sanctus. Cap. XXVI. 136

LIBER TERTIVS.

De varijs Canonis nominibus, eiuſque antiquitate. Cap. I. 140
De inſtitutione Canonis. Cap. II. 142
De Canonis expoſitione. Cap. III. 142
De Commemoratione pro viuis. Cap. IV. 148
Hanc igitur oblationem. Cap. V. 151
De verbis conſecrationis. Hoc eſt enim corpus meum. Cap. VI. 154
De verbis conſecrationis ſuper calicem. Cap. VII. 158
De extenſione manuum Sacerdotis, & quina Crucis conſignatione. Cap. VIII. 161
De commemoratione defunctorum. Cap. IX. 163
De pectoris percuſſione. Cap. X. 167

Digitized by Google

De exaltatione vocis, per omnia ſæcula ſæculorum. Cap.XI. 172
De Oratione Dominica. Cap.XII. 173
De ſilentio poſt Orationem Dominicam. Cap.XIII. 177
De reſumptione pateræ. Cap.XIV. 178
De fractione Hoſtiæ. Cap.XV. 179
De Agnus Dei. Cap.XVI. 182
De Oſculo pacis. Cap.XVII. 185
De ſumptione Hoſtiæ, & Sanguinis. Cap.XVIII. 187
De Communione. Cap.XIX. 189
De Collecta nouiſſima. Cap.XX. 191
De Ite Miſſa eſt. Cap.XXI. 192
De Benedictione nouiſſima, Cap.XXII. 194
De Euangelio S.Ioan. Cap.XXIII. 196

CA-

Digitized by Google

CATALOGVS AVCTORVM,

Auctoritatum Sacræ Scripturæ, nec non Conciliorum, quorum opera in hoc volumine vſi ſumus.

ABBAS Vrsbergen.
Acta Apoſtolorum.
Acta Mediol. Eccl.
Alanus.
Alcuinus.
Alexander Alenſis.
Alphonſus Piſanus.
Amalarius Fortunatus Card.
S. Ambroſius.
S. Anaſtaſius.
Anaſtaſius Nicenus.
Andreas Victorellus.
Andreas Maſſinus.
Angelus Rocca.
Angelus de Clauaſio.
S. Anicetus Papa.
S. Anſelmus.
Anſelmus Ryd.
S. Antoninus.
Antonius de Mochares.
Apocalypſis.
Arnoldus Vuion.
S. Athanaſius.
S. Auguſtinus.
Auguſtinus Barboſa.
Baptiſta Platina.
Bartholomæus Gauantus.
S. Baſilius.
Beda.
Benedictus VIII.
Benedictus Pererius.
S. Bernardus.
Berno Augienſis.
S. Bonauentura.
Bonifacius VIII.
S. Burchardus Vuormatienſis.
Bulengus.
Caietanus.
Carolus Nouarien.
S. Carolus Boromeus.
Cæremoniale Epiſcoporum.
Cæſar Baronius Card.
Cathechiſmus Romanus.
Cenedus.
Chronicum Muguntinum.
Clemens Alexandrinus.
S. Clemens Papa.
Cornelius Scultingius.
S. Cyprianus Gallus.
S. Cirillus Alexandrinus.
Concilium Agathenſe.
Conc. Antiſiodorenſe.
Conc. Aphricanum.
Conc. Aurelianenſe.
Conc. Braccarenſe.
Conc. Carthaginenſe.
Conc. Epheſinum.
Conc. Florentinum.
Conc. Laodicenum.
Conc. Lateranenſe.
Conc. Mediolanenſe.
Conc. Moguntinum.
Conc. Nicenum.
Conc. Rhemenſe.
Conc. Toletanum.
Conc. Tridentinum.
Conc. Vaſenſe.
Corradus Brunus.
Coſmus Dammianus.
Couarruuias.
S. Damaſus Papa.
Diana.
S. Dionyſius Areopagita.
Dioniſius Carthuſianus.
Dionyſius Alexandrinus.
Dominicus Sotus.
S. Donatus Aretinus.
Eccleſiaſticus.
Emmanuel Sà.
S. Epiphanius.
S. Euariſtus.
Euſebius Ceſarienſis.
Exodi.
S. Exuperius Toloſanus.
S. Euſebius Papa.
Eugenius Papa.

Fla-

Flauius Cherubinus.
Florus Magiſter.
Franciſcus Suarez.
Franciſcus Titelmanus.
Franciſcus Toletus Card.
Gabriel Albaſpina.
Gabriel Biel.
Gemma animæ.
Geneſis.
S. Germanus.
Gratianus.
S Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Papa.
Gulielmus Durandus.
Gulielmus Lindanus.
Henricus Henriquez.
Hieremia Propheta.
Homobonus de Bonis.
Hugo Victorinus.
Hugo Cluniacenſis.
S. Ignatius Martyr.
Innocentius III.
S. Io. Euangeliſta.
Io.Azorius.
Io.Baptiſta Scortia.
Io. Burchardus.
S. Io.Chriſoſtimus.
Io.Franciſcus Leo.
Io. Serranus.
Io.Turrecremata.
Io.Stephanus Durantus.
S. Iob.
Iſaias Propheta.
Iuo Carnotenſis.
Laurentius Surius,
Leo III.
Leo X.
Lyndanus.
Liturgiæ S. Petri S. Marci S. Iacobi S.Baſilij. & S.Io.Chriſoſtimi.
S. Lucas.
Lucas Pinellus.
Macrobius.
Marcellus Francolinus.
Martinus Bonacina.
Martinus Nauarrus.
S. Matthæus.
S.Melchiades Papa.
Micrologus
Muſæus Maſſilienſis.
Nicephorus Caliſtus.
Nicolaus I.
Nicolaus Lyranus.
Nicolaus Plouç.
Odo Cameracenſis.
S. Optatus Meleuitanus.
Ordo Gallicanus.
Ordo Romanus.
Origenes.
Paſchaſius,
Petrus Damianus.
Petrus Opmeer.
Petrus Antiſiodorenſis,
Petrus Caniſius.
Petrus Lombardus.
Petrus Paludanus.
Plinius.
Pius V.
Polidorus Virgilius.
Rabanus Maurus.
Radulphus Tungrenſis.
S. Remigius Antiſiodorenſis.
Rituale Romanum Pauli V.
Robertus Belarminius Card.
Rupertus Abbas.
Sacra Rituum Congregatio.
Sanchez.
Sigebertus.
Sixtus IV.
Syluester Papa.
Syluius.
Soter Papa.
Stephanus Eduenſis.
Sozomenus.
Summa roſ.
Tabiena.
Tertullianus.
S. Theleſphorus Papa.
S. Thomas Aquinas.
Thomas Bozius.
Thomas Rubeus.
Thomas Vualdenſis.
Victorianus Præmulus.
Vigilius.
Virgilius Mantuanus.
Vincentius Sorianus.
S. Vrbanus I.
Vrbanus II.
Vualfridus Strabo.
S. Zacharias Papa.
Zacharias Adrianus.
S. Zepherinus Papa.

Digitized by Google

LIBER PRIMVS

DE MISSAE DEFINITIONE, ac multiplici eius nomine.

Cap. I.

MISSAE definitionem allaturi, quid Miſſæ nomine intelligamus, prius explicare, operæ pretium duximus, ne per æquiuoca laborare videamur. Hic igitur Miſſæ nomine totam illam intelligimus actionem, quæ in altari fit à Sacerdote corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti conſecrante. Eſt ergo Miſſa ſacrificium, ſeu oblatio corporis & ſanguinis Chriſti ſub alienis ſpeciebus, facta à Sacerdote, ſacrificij ab eodem Chriſto ſemel ſuper Crucis altare exhibiti expreſſiua, ita Tolet. in ſum. lib. 2. cap. 4. Dicitur ſacrificium, quia Sacerdos id peragens, rem omnium maxime ſacram facit. eſt etiam hoc ſacrificium Miſſæ ſacrificium incruentum, quia eſt commemoratiuum illius ſacrificij cruenti, quod Chriſtus in cruce pro totius Mundi redemptione æterno Patri obtulit. Dicitur fieri ſub alienis ſpeciebus, hoc eſt panis & vini ad differentiam ſacrificij ipſius Chriſti in Cruce, in qua Patri non panem & vinum, etiam ſecundum ſpeciem, ſed proprium corpus, & ſanguinem obtulit, & ſecundum hanc rationem, rigoroſè loquendo, actio illa Chriſti, qua ſe in cruce obtulit Patri, propriè non dicitur Miſſa, quia non fuit facta ſub alienis ſpeciebus, ſed in re ipſa, ſeu in ſpecie propria: benè autem, & propriè dicitur ſacrificium, & oblatio, quia rem maximè ſacram, ſuam ſcilicet ſanctiſſimam animam, ſanctiſſimamque humanitatem obtulit Patri, tanquam pretium pro Mundi redem-

ptione ſolutum; licet igitur ſit eadem ratio ſacrificij, ſeu oblationis, qua vſus eſt Chriſtus in Cruce, & qua quotidie vtitur Sacerdos in altari, non eſt tamen eadem ratio Miſſæ, quia de eius eſſentia eſt, vt fiat ſub alienis ſpeciebus, cum ſit actio commemoratiua paſſionis Chriſti in propria ſpecie, ſemel tantùm exhibita iuxta illud Principis Apoſtolorum D.Petri in ſua epiſt. canon. cap. 3. Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, quæ commemoratio, quia fit quotidie centies millies, immò pluries, & vbique terrarum in toto orbe Chriſtiano, eodemque temporis momento, propterea neceſſe eſt, vt fiat ſub alienis ſpeciebus, hoc eſt panis, & vini, continentibus tamen idem numero verum, & reale corpus, & ſanguinem Chriſti ex vi verborum conſecrationis. & hæc quoad notitiam definitionis Miſſæ.

Quò verò ad eius nomen, multiplex quidem eſt; nam Miſſa eſt vox latina, & antiquiſſima, à vulgo potiùs introducta, multipliciter eiuſdem rei ſignificatiua, ita Barth. Gauant. in theſ.ſacr.rit. p.p. tit. 1. de rubr.generalibus littera d.& licet non ſit vox hebræa, ab hebræis tamen aliquam originem ducit; nam à D.Iacobo Apoſtolo in Liturgia hanc vocem Miſſam vſurpatã fuiſſe, teſtatur Baron. tom. 1. annal. ad annum Chriſti 34. & Io. Maria Vertan. tom. 4. ſuper Euang. fer. 3. oliuarum dicit, quòd originem ducit à voce hebraica Mas, ſeu, vt dicit Ant. Demachares cap. 1. de ſacr. Miſſæ, à voce Miſſas, quæ ſignificat communionem, & voluntariam oblationem, quæ manu offerri ſolet, vt refert Pinel. in tract. de Miſ. vnde non placet opinio Couar. lib. 4 var.reſol. cap. 22. dicentis, Miſſam eſſe vocem græcam; quia à Græcis nunquam, & nullibi vſurpata videtur vox Miſſa, ſed eam varijs nominibus appellant, nempe ſynaxim, ideſt communionem, vel Liturgian, ideſt publicum opus, vel Ierurgian, ideſt ſacrum opus, vt videre eſt apud Ignatium non ſemel; vel myſtagogiam, ideſt ſummum miniſterium apud Greg. Naz. pluries; vel proſphoram, ideſt oblationem, ex can. 3. Apoſt. vel thyſian, ideſt ſacrificium ibidem, vel teletum
ideſt

Digitized by Google

ideſt myſterium. Qui alia Miſſæ nomina à Sanctis Patribus vſurpata, ſcire deſiderat, legat præ cæteris Ioſephum Vicecomitem lib. 1. de ritib.miſ. cap.7. vbi ſupra octuaginta reperiet.

Nos ergo Durando lib. 2. de rit.Eccl.cath. cap. 1. num. 2. adhæremus, dicenti eſſe vocem latinam, dictam ab emittendo, immittendo, & dimittendo, primo Cathecumenos ab Eccleſia, ſecundo corpus Chriſti in Hoſtia, tertio offenſam humano generi; & placationem Deo Patri, & latinè ſignificat miſſionem, & hanc quidem, vel precum populi per Sacerdotem ad Deum ex Alcuino de diu.off. cap.de celeb.Miſ. vel Chriſti, qui miſſus eſt à Patre ad nos ex Durādo in Rat.lib.4.cap.1.vel eiuſdem Chriſti à nobis ad Deum, ad placationem, ſolutionemque inimicitiarum inter Deum, & homines ex Rup. Ab. lib.2. de diu.off. cap.20. vel cathecumenorum, energumenorum, & pœnitentium, qui poſt Euangelium à Diacono dimittebantur, quia ipſius hoſtiæ conſecrationi intereſſe non licebat, ex Rab. inſt. Cler. lib.1.cap.32. vel fidelium, qui tanquam rei toti ſacrificio velati cuidam iudicio intereſſent (hinc enim Canon Miſſæ Actio dicitur, ideſt cauſa in iudicium deducta ab aduocato Sacerdote) peracta verò cauſa dimittuntur rei, ex Duran. loc.cit.& quia in fine huius cauſæ iudicialis Diaconus, quaſi alter iudicis notarius, ſeu præco, eò quod populus dimittendus foret, tanquam abſolutus per Miſſæ ſacrificium, alta voce dicebat: Ite Miſſa eſt, propterea vulgarium hominum vſu integrum miſſæ ſacrificium Miſſa cœpit appellari. ita docent Azor lib.10.inſtit.moral. cap.8. & Durand. lib.2. cap.1. n.4. & 5. Alias præterea huius nominis rationes adducunt Sacri Doctores, nam Hugo de S. Vict.lib.2. de off.Eccleſ. tres affert. primo enim dicit, quod miſſa dicitur quaſi tranſmiſſa, eo quod populus per miniſterium Sacerdotis, quia mediatoris vice fungitur inter Deum, & populum, preces, vota, & oblationes tranſmittit. Secundo quia in Miſſa hoſtia ſacra eſt ipſemet Chriſtus, qui tranſmiſſus eſt prius nobis à Patre, vt nobiſcum eſſet, poſtea eadem hoſtia Chriſtum ſacramentaliter continens, à nobis tranſmittitur Pa-

Digitized by Google

tri, vt apud ipſum pro nobis intercedat. Tertio ab emiſſis Cathecumenis, vt ſupra tactum eſt. Quartam rationem tangit Mag.ſent.lib.4.def. 13.& ibid. D.Thom. dicitur Miſſa eò quod cœleſtis miſſus in conſecratione corporis, & ſanguinis Chriſti adueniat, iuxta illud dictum Sacerdotis: Omnipotens Deus iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui &c. credendus eſt enim Angelus Miſſæ ſacrificio intereſſe, vt Sacerdotis orationes, & populi Deo repræſentet, ſecundum illud Apoc. cap.8. & aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. Vtcunque ſit vox Miſſa antiquiſſima eſt, & à Clemente D. Petri ſucceſſore ep. 3. vſurpata, inquit Gauantus vbi ſupra, & ab Euariſto inquit Io.Burchardus 3. Decretal. cap. 27. certius autem à S.Ambroſio lib. 5. ep. 33. à vulgo potius introducta, vt ſupra diximus. Cum igitur in hoc ſacrificio repræſentetur Chriſti paſſio, ideò continentur in illa tria linguarum idiomata, nempe hebraicum, vt ſunt illa verba Alleluia, Sabbaoth, & ſimilia. Græcum, vt Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, & alia. & Latinum, vt ſunt reliqua verba, & id quidem idcirco factum eſt, quia in Crucis titulo, qui erat veluti compendium ſententiæ mortis Chriſti, eadem hæc tria idiomata proprijs caracteribus inſculpta cernebantur, vt Io. cap.19. legitur, vel fortaſſe etiam quia Euangelium, quod totam vitæ, & mortis Chriſti periodum continet, in his tribus linguis exaratum fuit: nam D.Matt. ſolus ſuum ſcripſit hebraicè, vt teſtantur D.Hier. ep. 123. & D. Aug. de conſ.Euang. lib. 1. cap.2. D. Io. & D.Lucas ſcripſere græcè. ex eodem Auguſtino vbi ſupra & ex Baron.tom.1. an.ad annum Chriſti 58. cap.27. & ad annum Chriſti 99. cap. 6. D. Marcus verò latinè, quia latinis illud annunciauit, vt expreſsè pluribus rationibus probat Baron. vbi ſup. ad annum Chriſti 45. cap. 30. & hoc Miſſæ ſacrificium fuit prædictum à Malachia cap.1. illis verbis; à ſolis ortu, vſque ad occaſum &c.

Digitized by Google

De Miſſæ Inſtitutione, & Antiquitate: Cap. II.

QVOD Miſſæ ſacrificium à Chriſto Domino in vltima cæna cum ſuis Apoſtolis habita, inſtitutum fuerit, tàm euidenter patet ex Euangeliſtarum aſſertione, vt nullus ſit relictus ambigendi ſcrupulus. Atteſtantur Diui Lucas c.22. & Matthæus cap.26. & ex ijs omnes Catholici interpretes ſuper illa Chriſti verba: Hoc eſt corpus meum, & Hic eſt ſanguis meus. Formalis autem inſtitutio deducitur ex illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem. ita definitum videtur à Conc.Trid. ſeſſ.22. cap.1. dum aſſerit, catholicam Eccleſiam ita ſemper intellexiſſe, & docuiſſe. Chriſtus ergo primus Miſſæ inſtitutor Apoſtolis iuſſit, vt quod ipſe fecerat in Euchariſtia, & ipſi facerent, teſtibus Sanctis Luca loc. cit. & Paulo 1. Cor. cap. 11. ne dicamus igitur Apoſtolos Domini mandata neglexiſſe, id fecere, neque ipſi modò, ſed ex eodem mandato cuncti Sacerdotes. quod fecerint Apoſtoli, & alij diſcipuli Domini teſtis eſt D. Lucas Act.cap.2. erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus, quæ verba S.Io.Chriſoſt.hom. 27. in epiſt.1. ad Cor. & D.Aug.ep.59. ad Paulam, & Strabo de Eccl. off. c.20. interpretantur de Sacramento Euchariſtiæ in Miſſa miniſtrato fidelibus, & quod habet idem D.Lucas c. 13. Act miniſtrantibus illis Domino &c. in græco eſt liturgiaton; ideſt liturgian, ſeu miſſam celebrantibus, & quod alij poſtea alios ritus ſacros, & orationes addiderint, id ex traditione ipſorum Apoſtolorum, & præcipuè D. Pauli feciſſe, dicendum eſt: id ipſum annuit D.Paulus, vbi ſupra: ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis; & quum recenſuiſſet omnia à Chriſto peracta in inſtitutione Sacramenti Euchariſtiæ, con-

clu-

cludit: Cetera cum venero diſponam, nam ſicut Chriſtus, vt apparet ex Euangeliſtis, ſermonem ſatis prolixum de rebus diuinis Euchariſtiæ inſtitutioni præmiſit, & gratijs Deo redditis hymnum poſtpoſuit, ſic & Apoſtoli inſtituerunt, vt ante Euchariſtiæ confectionem multi ſermones præmitterentur, & poſt eam multi ſubijcerentur. quamobrem ſicut integræ, ac totius Miſſæ ritus habentur à cunctis nationibus ſeorſim ſcripti, ſic illius multas partes, in antiquiſſimis ſcriptoribus legere poſſumus, vt apud S. Dionyſium Apoſtolis coæuum lib: de Eccl. Hierarc. cap. de ſynaxi. Iuſtinum in apolog. ad Antoninum pluribus in locis, ſed pro varietate gentium, locorum, temporumque tum ipſi Apoſtoli, tum ſucceſſores eorum primarij Epiſcopi diuerſis id modis inſtituerunt, ac multos ritus ſanxere, & hoc eſt quod Paulus dicit: Cetera cum venero diſponam, ſic enim interpretatur D. Auguſtinus.

Primam verò Miſſam celebrauit S. Petrus in die Pentecoſtes ex coniecturis Antonij de Mocharis tom. 2. de Sacr. Miſ cap. 4. quia eo die hebræi ex cap. 16. Deuter. offerebant oblationem ſpontaneam Miſſah, quæ erat tritici, Petrus igitur eandem obtulit in pane azimo in cœnaculo Syon. Eadem docet Famelius tom. 1. Liturg. Eccl. lat. neque obſtat cap. Iacobus de conſecratione. diſt. 1. ex 6. Synodo, in quo habetur D. Iacobum Apoſtolum primum Miſſam celebraſſe; quia D. Petrus ordinem præſcripſit, D. verò Iacobus euulgauit, ſic conciliat Scriptores Thomas Vualden. in lib. de Sacram. tit. 12. cap. 28. & de D. Petro quòd primus Miſſam celebrauerit, abſolutè docent Clemens epiſt. 2. & Iſidor. lib. 1. de off. cap. 13. & propterea dicitur S. Iacobus (nempe minor) Apoſtolus primus Hieroſolymorum Epiſcopus ab ipſomet D. Petro conſtitutus, antequam Apoſtoli, & Diſcipuli in orbem terrarum ad Euangelium diſſeminandum diſpergerentur; Hieroſolymis Euchariſtiam primus confeciſſe, illique S. Stephanum hac in re veluti Diaconum miniſtraſſe, prout ex S. Ignatio ad Neronem Diaconum ſcribente colligitur ſub his verbis: Nihil ſine Epiſcopo agas; Sacerdotes enim

Digitized by Google

enim ſunt, tu verò miniſter Sacerdotum: iili baptizant, tu verò miniſtras eis, vt Hieroſolymis S. Stephanus Iacobo, & Presbyteris, & ad Trallianos: quid Diaconi ſunt, niſi imitatores Angelicarum virtutum miniſtrantes miniſterium purum, & immaculatum, vt S. Stephanus B. Iacobo, & Timotheus, ac Linus Paulo, & Anacletus, ac Clemens Petro. Quam ob rem quæ dicitur liturgia, ſiue miſſa S. Iacobi meritò haberi debet omnium vetuſtiſſima, & de ſententia omnium Apoſtolorum confecta, quod illi ante necem S. Stephani Hieroſolymis haud diſceſſerint. Sequenti anno à morte S. Stephani, vt colligit in Annal. Eccl. Baronius, S. Philippus baptizauit eunuchum Candacis Reginæ Aethiopum, qui latè Chriſti cultu diſſeminato in Aethiopia, inter alia, Miſſam eò detulit, Aethiopes itaque proferunt & ſuam Liturgiam propria lingua ſcriptam, quàm ab Apoſtolis ſe accepiſſe iactant.

Habetur tertia Liturgia Syriaco ſermone conſcripta, qua Chaldæi, & totus Oriens vſque ad extremas terras vtũtur cum anaphora D. Baſilij vertit illam linguarum peritiſſimus Andreas Maſſius.

Quarta liturgia nonnullos habet ritus à S. Io. Chriſoſt. & à ſexta ſynodo celebratur.

Reſtat latinæ linguæ Liturgia, quàm D. Petrus tradidit; quaque plures Apoſtolorum vſi ſunt, & præcipuè S. Andreas Apoſtolus, qui præclariſſimum antiquitatis Miſſæ teſtimonium reddidit ex eius vita apud Metaphraſt. à Diaconis Achaiæ ſcripta; nam quum exigeret ab Apoſtolo Sãctiſſimo Aegeas Achaiæ Proconſul, vt dijs ſacrificaret, hæc ille reſpondit: Ego omnipotenti Deo quotidie immaculatum Agnum ſacrifico, & mox cum ſit verè ſacrificatus, & verè à populo carnes eius manducatæ, integer perſeuerat & viuus. Et hæc quoad inſtitutionem, & antiquitatem Miſſæ.

Qua-

Qualis, & quanta fuerit Miſſa in prima ſui Inſtitutione. Cap. III.

MISSA in prima ſua origine, hoc eſt quando Chriſtus primo ipſam inſtituit, breuiſſima fuit; ex ſola namque conſecratione Panis in Corpus, & Vini in Sanguinem, eorumdemque ſumptione conſtabat, vt ex contextu Euangelij euidentiſſimè patet, & quando D.Gregor. Papa in ep. ad Io.Syracuſanum dicit, quod Miſſa in primitiua Eccleſia, hoc eſt tempore Apoſtolorum, conſtabat ex ſola conſecratione cum proprijs verbis, & oratione Dominicali, id intelligendum eſt, quod oratio ipſa Dominica addita fuit ab Apoſtolis, ipſomet Chriſto docente, prout probat Gauant. in Theſ. p.2. tit. 10. ex D.Hieronymo, qui lib. 3. aduerſus Pelagium ſcribit: Chriſtum Dominum docuiſſe Apoſtolos, vt quotidie in corporis eius ſacrificio credentes audeant loqui, Pater noſter &c.

Nulla in hac prima Inſtitutione habita eſt ratio loci, temporis, vel indumentorum, ſicuti poſtea habita eſt: non loci quidem, quia tunc non in templo, nec ſuper altare, ſed in loco ad cœnandum deſtinato, & ſuper menſam cibariam. Non temporis quia non ante cibi ſumptionem, nec matutino tempore; ſed ſerò poſt cœnam, ideſt poſt mãducatum paſcha. Non veſtimentorum, quia non in miſticis illis pontificali maieſtati conuenientibus, ſed in cœnatoria veſte Chriſtus primò conſecrauit, vt colligitur ex D. Io. cap.13. quàm fuiſſe Syndonem albam, docet Baron.tom.1.Annal.ad an.Chriſti 34.n.39.& hinc poſtea (vt inferius dicemus) fortaſſe factum eſt, vt Sacerdos celebraturus, Alba, quàm Camiſum vulgari lingua vocant, induatur.

Calice vſus eſt Chriſtus in conſecratione Sanguinis, & illo

qui-

Digitized by Google

quidem, ſiue argenteo, vt aſſerit Baronius vt ſup. num. 63. ex Beda, ſiue lapideo ex Agatha, quam vocant, vt aſſerit Io. Carthagena hom. 26. de Euchariſt. quem ſubdit Valentiæ in Hiſpania ad præſens ſeruatum, piè à fidelibus venerari.

Secundum autem temporum incrementa ipſa miſſa ſuum augumentum recepit, ne dum quoad veſtes, & alia ornamenta, & vaſa, & orationes, quæ noſtris temporibus adhibentur, ſed etiam loci, temporis, & aliarum circumſtantiarum præcipua ratio habita eſt, de quibus ſingulis mox dicemus.

De loco celebrandi Miſſam. *Cap. IV.*

LOCVS proprius miſſæ celebrandæ eſt Eccleſia, ſeu Oratorium ad diuinum cultum dedicatum, ita definitum fuit à Conc. Trid. ſeſſ. 22. in dec. de obſer. & euit. in celebratione Miſſæ ſub his verbis: Neque patiantur (ſcilicet Epiſcopi) priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata oratoria ab eiſdem ordinarijs deſignanda, & viſitanda ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcunque peragi, & rationi conſonum videtur, miſſam extra Eccleſiam celebrandam non eſſe; nam ſi filij Iſrael, quibus omnia in figura contingebant, in veteri lege ex Domini præcepto holocauſta; & victimas nonniſi in loco, quem ſibi Deus ipſe elegiſſet offerebant, vt habetur in Deuter. c. 12. Ad locum, quem elegerit Dominus Deus veſter de cunctis tribubus veſtris, vt ponat nomen ſuum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocauſta, & victimas veſtras. Quanto magis locus, in quo verus Dei filius Deo Patri offertur non ex cuiuſque libito, ſed à Deo electus eſſe debet? hoc enim eſt ab Epiſcopo locum diuino cultui dedicari.

Hic locus non debet eſſe pollutus effuſione voluntaria ſemi-

nis, vel ſanguinis humani, alias in ipſo celebrans peccat mortaliter, etſi irregularitatem non contrahat, ita Nauar. cap. 25. n.83. & Tol. lib.2.c.2. ſed ſi locus eſſet interdictus, Sacerdos in ipſo ſolemniter vel publicè celebrans, non ſolùm peccaret mortaliter, ſed etiam fieret irregularis, ita Sylu. v. interdictum 5. §.6. & Sot. in 4.diſt.22. q.3. a. 1. & Tol.lib.1.cap.53. Sicut ergo nonniſi à ſacratis Deo Sacerdotibus Miſſam celebrari licet, ita non in alijs, quam in Domino conſecratis locis, ideſt in tabernaculis diuinis id peragere licebit. quod quidem apud diuini cultus Zelatores peruetuſtos tam acriter retentum eſt, vt licet aliquando ob vehementes perſecutiones Chriſtiani publicis Imperatorum (& præcipuè ante Conſtantini tempora) edictis ab Eccleſijs omnino excluſi etiam in carceribus, vt ex D.Cypr. epiſt. 5. & in cryptis arenarijs Romæ præſertim, in cæmeterijs, & ædibus piorum, vt ex Act. proconſularibus apud Surium tom. 1. ad diem 11.Febr. vt videre eſt apud Baronium in Annal. ad an. Chriſti 57. cap. 102. ſacra facere cogerentur; nihilominus ea edicta perſæpe parui facientes quocunque opportunum eſſet ad Synaxes in vnum conuenire, ideſt Eccleſias adire, vt Miſſas celebrarent, non prætermittebant, teſtatur id præcipuè Dioniſ. Alexandr. Epiſc. ad Germanum, & ad Hieracem apud Euſebium lib.7. cap.17. & cap.30.

In locis igitur Deo dicatis, quæ à quibuſdam Oratoria, ab alijs Eccleſiæ dicebantur, Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrabatur, vt colligitur ex breuiario Romano in lect. 2. Noct. in feſto Dedicationis Baſilicæ Saluatoris, quæ quidem loca S. Sylueſter Papa poſt collatum Conſtantini Imperatoris baptiſma, & poſt impetratum ab eodem edictum, vt in toto terrarum orbe Chriſtianis Eccleſias publicè ædificare liceret, ſolemni ritu primus conſecrauit, & conſecrationem inſtituit, nec in qualibet Eccleſiæ parte Miſſam celebrandam eſſe, ſed ſolùm in Altari, quod debet eſſe lapideum, & ab Epiſcopo conſecratum, vel ſaltem habere Aram ſimiliter lapideam, & conſecratam inſertam tantæ amplitudinis, vt hoſtiam, & maiorem partem

tem

Digitized by Google

tem calicis capiat, rubrica miſſalis præſcribit, à qua in re tam graui ſine lethali culpa recedere, minimè fas eſt, & licet ab Apoſtolorum Principe Petro vſque ad S. Silueſtrum Romani Pontifices in altari ligneo ad arcæ ſimilitudinem concauo ſacra facerent, eò quod propter perſecutiones certo loco conſiſtere non valentes quocunque neceſſitas compuliſſet, ſiue in cryptis, ſiue in cæmeterijs, ſiue etiam in carceribus, & ædibus piorum, ſiue in alijs occultis locis, vt ſupra dictum eſt, id peragerent; attamen reddita Eccleſiæ pace, altaria nonniſi ex lapide conficienda primus in Romana Eccleſia decreuit, vt habetur in cap. Altaria de conſecr. diſt. 1. & in Conc. Hippon. cap. 6. Dixi in Romana Eccleſia id primum à S. Syluestro decretum, quia longè ante eccleſiæ græcæ ſectatores in altari lapideo ſacrum faciebant teſte D. Dionyſ. de eccl. hierarc. cap. 3. & dum dicitur altare lapideũ, intelligitur tabula lapidea altari ipſi ſuperpoſita, quæ debet eſſe integra, & nullum foramen, ſeu ſciſſuram habere ex actis eccl. Mediol. ad deſignandam vndequaque plenitudinem, & integritatem Chriſti ex D. Thom. 3. p. q. 83. a. 5. duo autem ſunt de eſſentia, ſeu ſubſtantia conſecrationis altaris ex Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 27. q. 8. nempe oleum chriſmatis ex decr. S. Silu. vbi ſupra ad indicandam gratiæ pinguedinem ex S. Cypr. Conc. Agat. & cap. altaria de conſec. diſt. 1. & reliquiæ Sanctorum ab Eccleſia approbatorum ex decr. Felicis primi Papæ apud Radulphum propoſ. 23. & cap. Placuit de conſec. diſt. 1. & ex Conc. Aphricano, ideſt Carthaginen. 5. can. 14. & præcipuè Martyrum ex D. Auguſtino ſerm. 73. de diuer. & conuenienter quidem, nam pro quodam quaſi conſortio (ait ipſe) ibi martyribus ſepultura decreta eſt, vbi mors Domini quotidie celebratur, ſcilicet vt qui propter mortem eius mortui fuerunt, ſub ſacramenti eius myſterio requieſcant.

Conſecratio Eccleſiæ, & altaris non niſi ab Epiſcopo fit ex decr. S. Hormiſdæ in cap. Nullus; non negamus tamen à Summo Pontifice ex plenitudine poteſtatis Sacerdoti ſimplici committi poſſe facultatem altaria conſecrandi, ſicut Leo X. con-

ceſſit Fratribus Ordinum Minorum proficiſcentibus ad Indias Orientales, & Paulus Tertius presbyteris Religioſis Soc. Ieſu, vt in locis remotiſſimis infidelium, vbi Epiſcoporum copia non habetur, poſſint altaria conſecrare, apud Rodriq. tom. 1. reg. qq. q.28. a.2. ex Paulo Layman lib 5. Theolog. moral. tractat. 5. cap. 6. de Sacrif. Miſſæ n.1. in fin. ſed non poſſet Epiſcopus diſpenſare, ſed ſolus Pontifex vt in ara non conſecrata celebrari poſſit ex Tol. lib. 2. cap. 2. Eccleſiæ conſecratio tunc ſolùm ceſſat, quum maior pars parietum ſimul corruit, ex communi Doctorum ſententia, & licet ob plures alias cauſas poſſit pollui, & interdici ita, vt non poſſit in ea à Sacerdote huius rei conſcio, ſine peccato mortali celebrari, non eſt iterum conſecranda, niſi quando ob parietum ruinam in caſu prædicto iterum eſſet ædificanda.

Altaris conſecratio durat vſque ad amotionem tabulæ lapideæ, ideſt ſi mota fuerit iunctura, qua menſa ſtipiti lapideo, ſeu baſi adhæret, ſimiliter ceſſat conſecratio, ſi menſa ipſa enormiter frangatur, ita vt calix cum patena in nulla integra parte, moraliter rem æſtimando, conſiſtere poſſit, ſicut docet Abb. in cap. Ligneis n.1. notab. 2. Nauar. cap. 25. n. 83. & alij apud Layman. loc. cit. n.3. vel ſigillum, ſeu ſignum reliquiarum quouis modo frangatur, ſeu remoueatur. ita Emman. Sà. v. Altare: Illud maxima veneratione ponderandum eſt, quod in Prat. ſpirit. cap. 4. & 10. Legitur, nempe Angelum eſſe à Deo in cuſtodiam Altaris conſecrati aſſignatum.

Ex ſupradictis colligitur primo quod extra Eccleſiam, ſeu Oratorium ab Epiſcopo deſignatum, & præcisè in priuatis domibus, non poteſt celebrari, & Palatium, quod ſibi Epiſcopus in domicilium elegerit inter priuatas domos non connumerandum, vt notauit Carolus Epiſcopus Nouarien. in comment. can. ad cap. Miſſarum 13. de conſec. diſt. 1. Secundo, quod Epiſcopus in domo priuata celebrandi ſine Papæ licentia facultatem concedere minimè poteſt, prout expreſsè prohibuit Paulus V. per litt. Cardin. Lancellotti 10. Martij 1615. apud Ga-

Gauantum in Enchir. V.Miſſa n. 28. & ſi concedat Papa, adhuc non poterit ibi celebrari, niſi expreſsè concedatur, in Natali Domini, Epiphania, in primo die Paſchatis, & Pentecoſtes, in Annunciatione, & Aſſumptione B.V. in feſto SS.Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum ex decreto Sac.Cong.Rit.17. Nou. 1607. apud Gauant. vbi ſupra. Tertio colligitur, quod poſt decretum ſupradictum Conc. Trid. ceſſat priuilegium Regularibus conceſſum per Maremag. Sixti IV. & aliorum Pontificum, quod eis ante Concilium permittebatur, vt Miſſam ſuper altare portatile in quocunque loco honeſto celebrare poſſent, & propterea non placet doctrina Durandi lib. 4. c. 1. putantis ſuper dictum altare portatile etiam in mari, vel in flumine celebrari poſſe, etiam ſi non timeatur ſanguinis effuſio, in quo caſu permittere videtur Emman. Sà. v. Miſſa n. 19. & multo minus imitandi ſunt Luſitani, quos tam latè tuetur Io.Bapt. Scortia lib.2. cap. 13. v. Miſſa exemplis hiſtoricis, quæ potius (inquit Gauantus) admirationem habent, quam poſtulent imitationem. Non me latet contrarium ſentire ex recentioribus Paulum Layman, qui à Luſitanis hac in re ſtare videtur.

Notandum eſt, quod ſicut altare conſecrari non debet, niſi ab Epiſcopo, ſic non debet illud execrare, vel deſtruere, niſi Epiſcopus, vel alius de eius mandato. Io. Turrecrem. in cap. placuit de conſec. diſt.1.

Denique ſciendum quod vbi celebrauit Epiſcopus proprius in ſua Diœceſi, ob reuerentiam illi dignitati debitam, ea die, ne ibidem ab inferioribus Sacerdotibus Miſſa celebretur ſine eiuſdem Epiſcopi licentia, quæ ſaltem tacita ſufficit, quando neceſſitas vrget, nempè ne perdant aliqui Miſſam, vel ſi conſecrandæ ſint hoſtiæ pro infirmis, ex Homobon. tract. 4. quæſt. 139. & alijs, quos citat, non autem ex vi legis de conſ.diſt.2. cap. in altari, loquitur enim ibi textus de Miſſa cantata ab Epiſcopo, ſed præcipuè ex decret. Conc. Antiſiodor. cap. 10. à fortiori vbi celebrauit Legatus intra fines ſuæ legationis, vel Papa vbique ex Gauanto p.p. theſ. tit. 20. de præparat. Alt. littera f.

De

Digitized by Google

De tempore celebrandi Miſſam. Cap. V.

ETIAMSI Chriſtus ſerò poſt cœnam Miſſam inſtituerit (vt ſupra dictum eſt), ipſius tamen celebrandæ tempus (communiter loquendo) eſt ab aurora vſque ad meridiem, ita expreſsè rubrica iſſalis. Dixi communiter loquendo, quia in nocte Nat. Domini dicitur prima Miſſa immediatè poſt mediam noctem, ita eadem rubrica ex decreto Theleſphori Papæ: & per debitas horas, quas Conc. Trident. celebraturis Sacerdotibus præſcribit in decreto vbi ſupra, ſolum tempus ab aurora ad meridiem intelligendum eſſe, communiter interpretantur Doctores. Non ignoro vſum viguiſſe in Aphricana Eccleſia vt ſacrificium veſpere offerretur à ieiunis, vt videre eſt in epiſt. 63. Cypr. ad Cæcil. quin imò etiam poſt ſumptum cibum id ipſum ſeruatum fuiſſe in Eccleſia Alexandrina, teſtatur Sozomenus lib. 7. hiſtor. cap. 19. etſi D. Aug. in epiſt. 118. ad Ianuar. id ſemel tantùm in anno in Cœna Domini, & nonniſi à ieiunis fieri ſolitum aſſerat, & propterea veſpertinarum miſſarum mentionem haberi in cap. conuenit. de conſec. diſt. 5. ex Concil. Agathen. attamen quia ob hanc diuerſitatem Eccleſiarum paſſim poſt cœnam ſacrificium offerebatur, idcirco Conc. Carthag. 3. can. 29. ſtatuit, vt à ieiunis ſemper, excepta ipſa die anniuerſaria Cœnæ Domini offerretur. Sed hæc fuerunt contrarijs legibus abrogata, & penitus antiquata, vt patet ex Conc. Laodiceæ can. 5. & 6. Synodo c. 29. ob eam potiſſimùm cauſam, quod vniuerſalis Eccleſiæ vetus conſuetudo contraria eſſet, cum vt nonniſi à ieiunis ſacra Euchariſtia ſumeretur, antiquitus obſeruatum eſſe videretur; id affirmant præ cæteris Tertull. ad vxorem, lib. 2. cap. 5. & Cypr. epiſt. cit. 63. ad Cæcil. ad quæ reſpiciens Summus Pontifex Pius V. in Conſtit. 4. quæ incipit: Sanctiſſimus in Chriſto

Pa-

Pater &c. edita anno 1566. reuocauit quaſcunque licentias & indulta celebrandi miſſas veſpertino tempore, contra antiquum Catholicæ Eccleſiæ ritum, ac Sanctorum Patrum decreta. Quomodo autem intelligendum ſit hoc veſpertinum tempus, explicat Flauius Cherubinus in compend. Bullar. ſuper dictam Conſt. ſchol. 1. tom. 2. ſcilicet à meridie, qua hora Chriſtus expirauit, vſque ad auroram qua reſurrexit. Ante auroram igitur, & poſt meridiem notabiliter, ſine diſpenſatione præuia Miſſa celebrari minime poteſt ſine peccato mortali, ita fert Eccleſiæ conſuetudo. quæ verò ſit pars notabilis ſufficiens ad lethale peccatum, Azor. lib. 10 cap. 25. q. 6. docet eſſe tertiam partem horæ ante lucem, vel poſt meridiem, & minorem hac tertia parte excuſare à culpa lethali, docet Dom. Soto 4. ſent. diſt. 14. q. 2. art. 2.

Horam cum dimidia ante ortum Solis ex cauſa concedit Franc. Suar. in 3. p. D. Thom. diſp. 80. ſect. 4. Priuilegiati vt per horam ante vel poſt celebrare queant, poterunt hora ante vel poſt ſtatam horam à Summiſtis regulariter conceſſam celebrare; aliàs non eſſet priuilegium, ex Gauanto in theſ. p. p. tit. 15. A non priuilegiatis ex iuſta cauſa, vt puta ſi communicandus eſſet infirmus morti proximus, & non adeſſet particula conſecrata, de licentia Epiſcopi notabiliter vt ſupra ante auroram, vel poſt meridiem poſſe celebrari, concedunt Sylu. v. miſſa 1. §. 6. & 7. & Ang. v. Miſſa §. 40. apud Eman. Sa. eodem verbo n. 27. immò in tali caſu dictam licentiam Epiſcopi neceſſariam non eſſe vult Nauar. cap. 25. n. 85. qui ſuperaddit poſſe etiam poſt meridiem celebrari, ſi ſine ſcandalo id fiat.

Dices quare communiter loquendo Miſſa celebrari debet in die, & non in nocte? Reſp. quia hoc Sacramentum pertinet ad tempus gratiæ, quod per diem ſignificatur, iuxta illud Apoſt. ad Rom. cap. 13. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.

In prædicto igitur tempore; ſcilicet ab aurora ad meridiem quilibet Sacerdos non legitimè impeditus, celebrare poteſt quotidie, excepto die veneris ſancti, in quo ex Rubr. miſ. non

con-

Digitized by Google

conficitur Sacramentum (propterea enim, vt puto, decretum fuit à Sac. Cong. rit. ſub die 19. Febr. 1622. fideles non teneri ad audiendam miſſam in feſto Annunc. B. Mariæ, ſi illud incidat in Paraſceue; quia eo die propriè miſſa non dicitur, quia non conficitur Sacramentum etiam ſi preces illæ, & orationes miſſæ ſimiles in miſſali Miſſa dicantur) & in Cœna Domini, in qua Sacerdotibus non licet celebrare miſſas priuatas ob receptam in vniuerſali conſuetudinem Eccleſiæ faciendi vnum tantùm ſacrum ſolemne, in quo Apoſtolorum exemplo omnes presbyteri communicant: nam Apoſtoli omnes de manu Chriſti Euchariſtiam ſumpſerunt, ita omnes Presbyteri de manu ſui Prælati ſeu Superioris communicare debent. vide Marcellum Francol. in p.p. de temp. hor. can. cap. 30. & Azor. lib. 10. c. 24. q. 5. & præcipuè ex decret. Sotheris Papæ in cap. in cœn. de Conſecr. diſt. 1. & Sac. Rit. Cong. die 27. Septemb. 1608. decreuit, hac die faciendam communionem Cleri, & propterea puto, non amplius ſtandum eſſe doctrinæ Suarez 3. p. diſp. 8. ſect. 2. qui putat hac die dici poſſe plures miſſas, in loco tamen ſecreto ſine concurſu, & ſecluſo ſcandalo, & multo minus Soto, & Nauarro putantibus omnes Sacerdotes poſſe celebrare etiam publicè, & presbyteri communicare debent cum ſtola de collo pendente ex Conc. Bracar. Can. 3. inſuper etiam in Sabbato ſimiliter abſtinendum à celebratione miſſæ præter vnam ſolemnem, vt in die Cœnæ ex cap. Sabbato de conſec. diſt. 3. & ex Nauar. cap. 25. n. 88. & Francol. vbi ſupra n 2. & 9. nec placet opinio Soti in 4. diſt. 13. q. 2. a. 2. concedentis Miſſam priuatam in Sabb. Sancto, ea tamen lege, vt celebretur Superioris conceſſu, & auctoritate quaſi ex arbitrio illius pendeat celebrandi facultas, nec Azorij lib. 10. cap. 24. q. 4. (etiam ſi magis pia videatur) concedentis à Superiore dari poſſe licentiam ſolummodo quando adſit iuſta cauſa, nempe quia multi ſunt, qui commodè eo die ſacrificio publico, & ſolemni intereſſe non poſſunt, quod accidere poteſt quando feſtum Annunc. B. Virg. incidit in Sabb. Sanctum, in quo feſto omnes fide-

les

Digitized by Google

les ex Eccleſiæ præcepto miſſam audire tenentur, & tunc, inquit Azor, de licentia Superioris celebrari poſſet, alias non, & nonniſi poſt inchoatum ſaltem ſolemne ſacrificium, depoſitoque luctu, & mœrore Eccleſiæ. Nos igitur cum Gauanto in theſ. p. 4. tit. 10. de ſab. ſanct. tutiorem arbitramur opinionem Nauarri, & Francolini loc. cit. tanquam magis conformem cap. Sabbato ſupradict., quia hæc miſſa eſt potius miſſa noctis ſequentis, vt patet ex verbis ipſis, quàm diei ſabbati. exceptis ergo his tribus diebus quilibet ſacerdos non legitimè impeditus abſque vllo ſcrupulo celebrare poteſt. Diximus in die veneris ſancti celebrari non poſſe, quia D. Thom. in 3. p. q. 83. art. 2. ad ſecund. dicit, quod cum Eccleſia colat, & exhibeat realem paſſionem, & ſacrificium cruentum Chriſti, propterea non repræſentat myſticè, ſeu non immolat incruentè, & in Sabb. Sancto non celebrabatur antiquitus, quia Eccleſia toto etiam illo die in ieiunio, luctu, & repræſentatione mortis dominicæ perſeuerabat, miſſamque Reſurrectionis ipſa nocte celebrabat, poſtea verò miſſa anticipata fuit ad tempus ante meridianum Sabbati, vt optimè annotauit Layman. loc. cit. n. 7. Sacerdos enim celebrare omittens, quantum in ſe eſt (vt inquit Beda de vener. Euchar. Sacr. priuat Sanctam Trinitatem gloria, & laude, Angelos lætitia, peccatores venia, iuſtos ſubſidio, & gratia, in purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam ſpirituali Chriſti beneficio, & ſe ipſum medicina, & remedio. Statuit autem Eccleſia, vt quotidie celebretur, vt quotidie recordemur mortis eius, (eſt enim miſſa commemoratio Paſſionis, & mortis Chriſti, vt ſupra diximus) qui pro noſtrorum remiſſione peccatorum in ara Crucis paſſus eſt. ita S. Ambr. in cap. 4. de conſecr. diſt. 2. Et etiam quia nos quotidie peccamus, & ille denuò mori non poteſt, per iſtud Sacramentum remiſſionem peccatorum conſequimur, vt inquit S. Greg. in cap. Quid ſit ſanguis de conſecr. diſt. 2. apud Flau. Cherub. vbi ſup. ſchol. 2. Si quis autem pro maiori propriæ conſcientię quiete, ac ſecuritate ſcire vellet horas præcisè, in quibus ſecundum

Digitized by Google

dum horologia Italica licet celebrare, ideſt quando incipit aurora, & quando meridies, poſſet adire tabellam crepuſculorum matutinorum, meridiei, & meridiæ noctis, à qua Sacerdos celebraturus debet eſſe ieiunus, quam Barthol. Gauant. ex Theodoſio Rubeo Priuernate excerptam in ſuo theſauro repoſuit in parte quinta, in qua ſummatim reperies ſemper excepto Martio per horam, & dimidium horæ ante ortum Solis incipere crepuſcula, & auroram, quibus incœptis licitè poterit incipi miſſa.

De Veſtibus Sacerdotalibus. Cap. VI.

QVO ad veſtes ſacerdotales, ſciendum eſt, quod Sacerdotes primis temporibus communi indumento veſtiti miſſas agebant, ita Vualafridus Strabo de rebus Eccleſiaſt. cap. 24. ſed poſtea S. Clem. Papa ex ipſius B. Petri Apoſtolorum Principis traditione ſacrarum veſtium vſum ex lege decreuit, ita Honorius in Gem. lib. 1. cap. 89.

Hæ autem veſtes ſex ſunt, videlicet Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Planeta. Neque myſterio caret hic numerus, quia in ipſo recolitur paſſio Chriſti, qui ſex diebus creatum Mundum, ſexta ætate, ſexta die, & hora ſexta reparauit, ita Zacharias Andrianus de ſacrif. miſ. lib. 2. cap. 1. Tolet. Inſtr. ſac lib. 2. cap. 2. & his ipſis Apoſtolos vſos fuiſſe, ex inde præcipuè patet, quia de Planeta D. Petri (quam in hanc vſque diem Pariſijs aſſeruari teſtatur Gauant. theſaur. ſac. Rit. p. 2. t. 1.) meminit Hugo Cluniacenſis in vita S. Hugonis Abbatis. & ſtolas Apoſtolorum repertas fuiſſe Auguſtæ ex Cedrino apud Buleng. lib. 2. cap. 38. affirmat Gauantus vbi ſupra, qui etiam de Amictu loquens, ipſo Apoſtolos vſos fuiſſe ex Rabano Mauro lib. 1. Inſtitut. cleric. cap. 15. deducit; ſicut veroſimile eſt vſos fuiſſe Alba, quia ipſa indutum Chriſtum in Eucha-

riſtiæ

Digitized by Google

riſtiæ inſtitutione viderant, vt ex Baronio probauimus tom. 1. Annal. ad ann. Chriſti 34 n. 36. dum Chriſtum in cœnatoria veſte, hoc eſt ſyndone alba miſſam inſtituiſſe, affirmauimus.

Cingulo autem, ratio ipſa perſuadet vſos fuiſſe, quia ad religandam albam, ne incompoſitè diffluat, & Sacerdoti cadendi periculum afferat, & vt Stola in Crucis forma religata ante pectus conſiſtat, adinuentum eſt, & fortaſſe propter hanc rationem S.Leo quartus Papa in epiſt. ad Epiſc. cingulum non enumerat inter veſtes Sacerdotales, quia, propriè loquendo, veſtis non eſt, ſed potiùs ligamen, veſtis tamen nomine ipſum expreſſo vocabulo nominat Tol.lib.2.cap.2. Inſtruct ſac.Manipulum apud antiquos Patres in vſu fuiſſe teſtatur Conc. Rhemenſe apud Burchard. lib. 2. cap. 50. & de eo meminit S. Io. Chriſoſt. in liturg. vbi ipſum Aerem appellat, ſignificationes habes infra.

Sacerdotales veſtes non debent eſſe laceræ aut ſciſſæ, ſed integræ, & mundæ ex Rubr.Miſſal.& quando adeo laceræ ſunt, ſeu ſciſſæ, vt ipſarum figura deſtruatur, ſeu ineptæ ſint ad vſum ſacrum, non poterit in eis ſine mortali peccato celebrari, quia ſic amittunt benedictionem, ex Franc.Suarez in 3. p. D.Thom. diſp. 82. ſect. 2. & ex cap. quod in dubijs de conſecr. Eccleſ. & altaris.

Cingulum nondum ruptum poteſt nodo reparari, quod ſi penitus rumpatur, poteris ea parte vti, quæ ad cingendum ſufficit, non verò vti poteris toto per nodum reſarcito ſine noua benedictione, quia forma amiſſa eſt, quod ſi rumpantur ligamina ab ipſo cingulo terram verſus pendentia, poterunt vel nodo, vel ſutura reſarciri ſine noua benedictione, quia non ſunt de eſſentia cinguli, ex Gauant.p.2.tit.1.Theſ.

Debent eſſe benedictæ huiuſmodi veſtes Sacerdotales ex Rubr. & ipſarum benedictionem præcipi ſub mortali affirmat Nauar. in Man. cap. 25. n. 84. & habetur in ordine Romano, immo hanc benedictionem ab Epiſcopo faciendam eſſe, & ordinis eſſe Epiſcopalis, docet Innoc.tertius lib. 1. myſt.Miſ.c.8.

Digitized by Google

quæ idcirco alijs delegari non poteſt ſine Papæ facultate, vt ſæpius decretum fuiſſe à Sac. Cong. Rit. teſtatur Gauant. in collect.n.36.& in Theſ.p 4.tit.19.n.23.

Non negauerim hanc benedictionem poſſe etiam fieri à nonnullis priuilegiatis, præſertim Regularibus, vt patet ex ipſorum priuilegijs apud Io. Bapt. Confect. in Bulla 6. Leonis Papæ X. edita die 3. Febr. 1514. quæ incipit. Religioſis ſuadet honeſtas, eodemque priuilegio ſunt Barnabitæ, & verba ipſa Rubr. indicant, quæ ſunt (vel ab alio facultatem habente) quod locum habet ſolùm pro benedictione paramentorum Eccleſiarum ipſorum Regularium vt ex decr. Sac.Cong.Rit.ſub die 24. Aug. 1609. & rurſus ex alio decreto edito ſub die 30. Septemb. 1628. neque obſtat conſuetudo allata per Tamburinium de iure Abbatum tom.1. diſp.22. q.2. n.2. quia ipſam abrogauit; & non obſtare declarauit eadem Sac.Cong. ſub die 18. Aug. 1629. vnde neque Prothonotarij benedicere valent ex alio decreto Sac.Cong. ſub die 17. Iulij 1627. propterea Sacerdos in celebratione Miſſæ vtens veſtibus, quas ſcit non eſſe benedictas, peccabit mortaliter ex Nauar. in Man.cap.25.n.84.t.3.

Debent eſſe mundæ, & decenter honeſtæ, vt qui ipſis enormiter, ſeu notabiliter immundis vteretur, lethaliter delinqueret, ex Sylu. V. miſſa 1. q. 2. §. 3. nam Sacramento omnium mundiſſimo maximam inferret iniuriam, & irreuerentiam ex Tol.lib.2.cap.2.Inſt.Sac. de qua munditia dicitur Eccl.9. Omni tempore veſtimenta tua ſint candida.

Sacerdos ſine paramentis prædictis celebrans, peccat grauiſſimè ex S.Ant.3 p.tit.13.cap.6.§.6. ſed irregularitatem non contrahit, ex Confecto in ſummario priuil. Mend.& non mend. tit.15. cap.5. quia id nullo iure expreſſum eſt, & irregularitas non contrahitur niſi in caſibus expreſſis in iure, vt habetur in cap. 15. Is qui de ſent.excom.in 6.

At ſi Miſſa celebranda ſit vel propter magnam ſolemnitatem, & populus aliam audire non poteſt, vel quia plures infirmi morti proximi communicandi ſunt, & non adſunt particulæ

con-

Digitized by Google

conſecratæ, vel quia Sacerdos obijt poſt conſecrationem corporis, & non poſſunt haberi aliæ veſtes ſacerdotales niſi illæ, cum quibus celebrauit Sacerdos, qui peſte infectus mox obijt, num ſine ipſis celebrandum erit?

Nonnulli negant, ea fortaſſe moti ratione, quam indicat Emm. Sà. V. miſſa num. 13. & 14. nempe, quia Miſſa eſt omittenda etiam in neceſſitate, ſi non poſſit ritè peragi. Sed nos cum alijs eodem Sà approbante dicimus, Eccleſiam non obligare, vt cum tanto periculo celebretur, & Aphoriſmus Sà dicentis, omittendam potius Miſſam etiam ex neceſſitate quando ritè peragi non poſſit, intelligendus eſt quando deſunt ſubſtantialia ad Miſſam requiſita.

Animaduertant denique Sacerdotes omnes quicunque illi ſint Epiſcopo inferiores, ne ſacerdotalia indumenta de altari ſumant, quia hoc conceditur ſolùm Epiſcopis, & Cardinalibus ex Decr. Sac. Cong. Rit. ſub die 7. Iulij 1612. quod ſi neceſſitas vrgeat, vel quia Eccleſia Sacriſtiam non habet, ſiue non adeſt menſa ad hoc præparata, tunc non ſumant paramenta de medio altaris, ſed de cornu Euangelij, vt ex induſtria aduertit Gauant. p. 2. tit. 1. Theſaur.

Non ſunt denique ad vſus profanos conuertenda vaſa ſacra, planetæ, pallæ, veſtes Sacerdotum, & Miniſtrorum, & ſimilia, & ratio eſt, quia Deo dicata, ad vſus profanos verti non debent cap. Nulli 12. q. 2. & cap. ſemel de reg. iur. in 6. ſed ſi huiuſmodi paramenta vetuſtate ſunt conſumpta, debent comburi, & cineres ſunt reponendæ ſub pauimento, vel alio in loco æquè honeſto, ne pedibus intrantium conculcentur. cap. Altaris de conſec. diſt. 1.

De

De Altaris Præparatione. Cap. VII.

SVPPOSITA doctrina, quàm ſupra tradidimus, nempe quod Altare ſit lapideum, & ab Epiſcopo conſecratum, vel vt ſaltem habeat Aream lapideam ſimiliter conſecratam inſertam; nunc de eius præparatione agamus. Octo ſunt quæ altare ipſum aptè præparant ex Rubric. Miſſal; & alia quinque prope altare in feneſtella, vel menſa ad hoc diſpoſita, ad manum eſſe debent, quibus addendus eſt miniſter idoneus, qui Sacerdoti inſeruiat, & reſpondeat. Quæ altare ipſum præparant, ſunt mappæ, ſeu tobaleæ, pallium, Crux, candelabra ad minus duo, candelæ, tabella ſecretarum, ſeu Sacrum Conuiuium, quod vulgò cartha Gloriæ dicitur, Miſſale, & Puluinus, qui vulgò cuſſinus dicitur, miſſali apponendus. Propè altare præparanda ſunt cereus, & campanula pro eleuatione Sacramenti, ampullæ vitreæ vini, & aquæ, peluicula ad excipiendam aquam lotionis manuum Sacerdotis, & manutergium, ſeu ſudariolum. De Calice, & eius præparatione inferius ſeparatim agemus. Mappæ, ſeu tobaleæ debent eſſe tres ex cap. ſi per negligentiam de conſec. diſt. 2. quarum prima ſit tam longa, vt totum altare à lateribus vſque ad terram cooperiat, aliæ duæ breuiores, vel vna tam longa, vt duplicata totum planum ſuperius altaris operiat. ita Syl. V. miſſa 1. q. 2. Palud. Innoc. & Sum. Roſ. cõtra Angelum aſſerentem vnam ſufficere, & quia altare veſtiendum eſt lineis ex decr. Bonif. 8. Papæ apud Polid. Virg. lib. 5. cap. 6. & ex Conc. Rhemenſ. apud Burgard. lib. 3. cap. 97. & ex S. Clem. epiſt. ad Iacobum, ſeu ad Simeon. propterea huiuſmodi mappæ, ſeu tobaleæ lineæ eſſe debent, & benedictæ ab Epiſcopo, vel ab alio facultatem habente, niſi neceſſitas aliud ſuadeat, vt innuunt Sylu. V. benedictio q. 5. Azor. lib. 10. cap. 28. q. 8. & alij. ipſarum tamen bene-

dictio expreſſa habetur in ordine Romano, & propterea omnino curandum eſt, vt benedicantur, & poſſunt ſerico ornamento vel auriphrigio ornari.

Pallium, quod à palliando dicitur, quia ſacra myſteria palliat ad altaris anteriorem faciem operiendam ponitur. debet quoad fieri poteſt cum ſolemnitate, vel officio in colore conuenire, nec ſolet ſeparatim ab alijs paramentis benedici, cum eius propria benedictio in Rituali, vel Pontificali non extet, poteſt enim ſine ipſo celebrari, quando altare eſt ornatum auro aut lapide prætioſo ex Gauanto p.p.tit.20.

Crux in medio altaris collocanda ex Rubr. debet habere imaginem Chriſti Crucifixi ſiue ſculptam, ſiue pictam ex cerem.Epiſc.lib.2.cap.12. ob eam, vt puto, rationem, vt ex ipſius aſpectu Sacerdoti efficacius reuocetur in memoriam paſſio Chriſti, & ideo teſte Bonauentura de miſt.Miſſæ. meritò à Sanctis Patribus ſtatutum eſt, ne quiſquam in aliquo loco miſſam celebret, niſi ibi imago poſita ſit Crucifixi. & propterea ponenda eſt etiam in altare, vbi Euchariſtiæ Sacramentum intus in mobile tabernaculum clauſum aſſeruatur. quin immò etiam ſi altare habeat pro Icone maiori tabulam pictam, ſeu etiam ſtatuam Crucifixi, vt latiſſimè pluribus, & eruditiſſimè probat Gauant. vbi ſupra. Debet eſſe benedicta, quia ordo Romanus habet benedictionem ipſius expreſſam, & poteſt fieri ex quacunque honeſta materia, & collocanda eſt inter duo ad minus candelabra, non ſine peculiari myſterio, vt infra videbimus ex Innoc. tertio de myſt.miſſ.lib.2.cap.21. Sciendum eſt, vt dicit Mag.in hiſt.Chriſti, crucem quatuor lignorum generibus fuiſſe compoſitam, vnde verſus.

Crux Domini palma, Cedrus, Cypreſſus, oliua.

& bene vir ille inſignis de illis verſibus deſcripſit.

Pes Cedrus eſt, truncus Cypreßus, oliua ſupremum,
Palmaque tranſuerſum Chriſti ſunt in Cruce lignum.

Significat enim Cedrus altitudinem contemplationis, Cypreſſus famam bonæ opinionis, Palma fructum iuſtitiæ, Oliua lenita-

Digitized by Google

nitatem miſericordiæ. Dices quare voluit Chriſtus in Cruce mori?

Reſp. id feciſſe ratione ſatisfactionis magis competentis, nam quia peccatum noſtri primi parentis fuit ex eo, quod contra mandatum Dei pomum ligni vetiti ſumpſit, ideò conueniens fuit, quod Chriſtus ad ſatisfaciendum pro illo peccato, ſe ipſum Crucis ligno affigi pateretur, quaſi quod Adam ſumpſerat, reſtitueret iuxta illud, quæ non rapui tunc exoluebam, & ideò D. Aug. in quodam ſerm. de Paſſ. dicit: Contempſit Adam præceptum accipiens ex arbore pomum: ſed quicquid Adam perdidit, Chriſtus in Cruce inuenit. alias cauſas vide apud Iacobum Gretſerum lib. de Cruce. Voluit præterea ad confundendam noſtram ſuperbiam, ignominioſum mortis genus eligere; quod apud omnes gentes erat Crucis ſupplicium. Quæres cur feſtum Crucis celebramus, in qua Dominus fuit dehoneſtatus?

Reſp. cum Gloſſa in cap. crucis de Conſec. diſt. 3. quod dehoneſtatio in Cruce facta fuit noſtra redemptio. Candelabra ſaltem duo adhibenda eſſe in altari, decreto firmauit S. Melchiades Papa apud Burchardum lib. 5. cap. 7. & confirmaſſe videtur idem Innocent. Tertius vbi ſupra. Rubrica præſcribens ſaltem duo, loquitur de miſſis priuatis, nam in Miſſis ſolemnioribus ſex per lineam rectam debent apponi, & in minus ſolemnioribus quatuor, imò quandoque poſſunt apponi plura extra lineam rectam, vt annuere videtur Rubrica de incenſationibus altaris in principio Miſſæ ſolemnis. Nullibi, quòd viderim, fit mentio de benedictione candelabrorum, quod ipſorum benedictio non ſit neceſſaria, ob eam fortaſſe rationem, quia non per ſe primò locum obtinent in altari, ſed pro ſeruitio candelarum. Candelæ accenſæ numero candelabrorum ſupradicto reſpondere debent ad fugiendam ſuperſtitionem, prout expreſsè monet Conc. Trid. ſeſſ. 22. in decret. de obſeru. & euit. in celebrat. Miſ.

Lumen adhibetur in Miſſa ex decreto Theleſphori Papæ, vt ſcri-

ſcribit auctor breuiarij cronolog. & meminit Tertull. aduerſus Valentinum cap. 2. & 3. non ad expellendas tenebras tantum, ſed potiùs ad myſterium, vt infra dicemus, vnde ſine lumine celebrans tam grauiter peccat, vt ab officio, & beneficio deponendus ſtatuatur in cap. finali de celebrat. miſſ. apud Tolet. lib. 2. cap. 2. vnicum lumen concedit Azor. lib. 10. cap. 28. q. 5. nec Tol. vbi ſupra abnuit, ſed tu vide, an citra ſcandalum, & ſuperſtitionis ſuſpicionem id facere poſſis.

Animaduertant Vicarij Generales Epiſcoporum, vt in miſſis priuatis ab ambitioſo candelarum numero abſtineant, quia ipſis etiam ſi ſint Prothonotarij, inhibetur per ſpeciale decretum Sac. Cong. Rit. edit. ſub die 7. Auguſti 1627. ne quatuor candelis vtantur in miſſa, niſi fortè aliud exigat ratio feſti, nec à duobus capellanis miniſtrari ſibi faciant, vt benè aduertit Gauant. p. p. tit. 20. lumen debet eſſe cereum ex conſuetudine Eccleſiæ ab Apoſtolorum tempore introducta, & ex auctoritate multorum Sanctorum Patrum vſu recepta, prout probat Enriquez lib. 9. de Miſſa cap. 26. n. 4. propterea enim dicti ſunt ceroferarij deferentes candelas in candelabris in proceſſionibus, & miſſis ſolemnibus, & de cereis mentio eſt apud Sanctos Patres, vt videre eſt in epiſt. D. Athanaſ. & Bellarm. lib. 2. de miſſ. c. 14. ad Orthodox. & in hymno S. Laurentij per Prudentium edito, & propterea Suarez in 3. p. D. Thom. diſp. 81. ſect. 6. negat adhiberi poſſe candelam ex ſeuo, quæ tamen in neceſſitate conceditur ab Azorio vbi ſupra. Tolet. dicit, non eſſe neceſſarium lumen ceræ, quamuis ſecurius ſit ipſo vti, ego cũ Suarez ſentio.

An verò citra peccatum mortale Sacerdos vti poſſit lumine olei, alij affirmant, & alij negant, quos videre poteris apud Dianam tract. 14. de celebrat. miſſ. reſol. 45. Nos autem neceſſitate ſuppoſita, & ſcandalo ſecluſo, cum tali lumine celebrantem, à mortali excuſamus cum Azorio loc. cit. Zamordo in direct. Theolog. p. p. de ſacrif. miſſ. cap. 14. in fin. Pitigian. tom. 1. diſp. 15. q. 2. & alijs penes dictum Dianam, vbi ſupra, & in reſol. 67.

Digitized by Google

Tabella ſecretarum, ſeu charta Gloriæ, vt dicunt ad maiorem commoditatem Sacerdotis, dum non nullas ſecretas orationes, ſiue offertorij, ſiue conſecrationis, ſiue etiam ante, & poſt communionem in altari apponitur, in quo etiam ad maius commodum apponi ſolet Gloria in excelſis, Credo, & Euang. S.Io. etſi nonnullis in tabellis ſeparatis dictum Euang. S. Io. In Principio, & Pſalm. Lauabo preparatum habeant.

Miſſale tā neceſſariò requiritur, vt ſine ipſo celebrans grauiſſimè peccet, etiamſi memoriter miſſam recitare poſſet, ita Nauar. c.25.n.85. & Azor.lib.10.cap.29.q.4. neque aliud miſſale, niſi Pij V. iuſſu editum, & reformatum, adhiberi poteſt à celebrantibus ſecundum ritum Romanæ Eccleſiæ; ratio autē quare liber miſſalis ſit adeò neceſſarius, eſt, ne dum ad euitandum periculum omiſſionis alicuius orationis, ſed etiam, ne mens diuerſis cogitationibus abſtracta, hinc inde vagetur, & ſacroſanctum myſterium, quod ab Angelis reuerentiſſimè veneratur, oſcitanter, & negligenter à Sacerdote pertractetur.

Puluinus, qui vulgò dicitur cuſſinus, eſt neceſſarius ex Ordine Romano, ne dum ad decorem, ſed etiam, vt eius auxilio in eleuato miſſali Sacerdos commodius legere poſſit. Nonnulli cuſſini loco, ligneo pluteo, ſeu diſco vtuntur ad hoc apto.

Cereus requiritur in eleuatione Sacramēti accenſus ad excitandam magis circumſtantium fidem, & deuotionem in adoratione Euchariſtiæ, & in miſſis priuatis vnus tantum ſufficit; in ſolemnibus verò plures adhiberi ſolent. Sine huiuſmodi cereo celebrare, mortale peccatum non puto.

Hic aduerte, quod Sacerdos animaduertens miniſtrum negligenter ſe gerere in cerei accenſione, non debet expectare donec preſto ſit, ne videatur quodammodo miſſam interrumpere.

Campanulæ vſus ad excitandos circumſtantes, vt aduertant, & deuotius ſe gerant erga Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, dum à Sacerdote eleuatur, ex decreto Fabiani Papæ colligi poſſe videtur, qui campanæ pulſationem ad horas canoni-

cas

cas ſtatuerat, teſte Durand. lib. 1. cap. 4. nam tempore Sanct Anaſtaſij Perſæ Martyris, qui vixit circa annum Domini 610. prout patet ex 7. Synodo act. 4. pro campanis ligna pulſabantur. Non me latet à S. Paulino Epiſcopo Nolano S. Hieronymi coæuo, campanarum vſum in Eccleſiam inductum fuiſſe, ideſt in vſum ſacrum, vt videre eſt apud Durand. in Rat. diu. off. lib. 1. cap. 4. Quod autem campanis etiam ante Chriſti aduentum Gentiles vſi ſint, probat Angelus Rocca in tractat. de campanis, ſed earum vſum, vt diximus, S. Paulinus introduxit: Fabianus verò Papa decreto, vt etiam diximus, earum vſum ſtatuit ex Durando, vbi ſupra.

Ampullæ vitreæ pro vino, & aqua ad vſum conſecrationis ſanguinis præparantur, quæ ideò conſultius à rubrica iubentur eſſe vitreæ, ne contingat error apponendo aquam pro vino, nam antiquitus, nempe tempore S. Marci Papæ & S. Sylueſtri erant argenteæ, quia igitur ob tranſparentiam vitri facilius dignoſcitur vinum ab aqua, vitreæ adhibentur, & etiam ne ex argento aliquid tetri ſaporis vinum acquirat, prout ſæpius experientia docuit, & vocantur ampullæ quaſi parum amplæ. Vuala. cap. 24. appellantur etiam amulæ, Durant. lib. 1. cap. 7. hamula enim vas eſt, in quo vinum offertur.

Peluicula adhibetur ad excipiendam aquam lotionis manuum, dum ſacerdos ad Pſal. Lauabo, manus lauat, ne aqua vel pallium madefaciat, vel ſcabellum, ſeu predellam pedibus ſacerdotis ſuppoſitam.

Tũdus debet eſſe planus, vt ampullę firmè impoſitę hæreant.

Manutergium, ſeu ſudariolũ ad tergendas manus neceſſario, ponitur, de quo etiam mentio habetur in Conc. Carthag. 4. c. 5. & apud Iſidor. lib. 2. de off. c. 10. & notanter à rubrica aſſignatur locus huic manutergio ad tollendum abuſum nonnullorum ſacerdotum, qui ipſum ſupra calicem ad altare deferunt, cum in feneſtella, ſeu in menſa ad hoc præparata poni debeat vna cum ampullis, campanula, & cereo à parte epiſtolæ; vt facilius ad manum ſint.

Miniſter in Miſſa adeò eſt neceſſarius, vt ſine ipſo celebrare minimè quis poſſit, ita in cap. hoc quoque de conſecr. diſt. 1. vbi licet duo præſcribantur miniſtri, ex conſuetudine tamen iam vſu recepta, vnus tantùm ſufficit, ita interpretante Toleto lib. 2. cap. 2. Nos autem addimus, quod in d. cap. ſit expreſſa mentio de miſſa ſolemni, non autem de priuata, ſunt enim verba textus. Hoc quoque ſtatutum eſt, vt nullus presbyterorum miſſarum ſolemnia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, ſibique reſpondentibus, ipſe tertius habeatur, præterquam quod de ſola præſentia loqui videtur textus ad verificandum verborum ſenſum, dum dicit, Dominus vobiſcum, propterea ſubiungitur in textu, quia cum pluraliter ab eo dicitur, & illud in ſecretis. Orate pro me, aptiſſimè conuenit, vt ipſius reſpondeatur ſalutationi. Vnum autem ſufficere miniſtrum, patet ex cap. propoſuit de fil. presbyt. & ſi ſine miniſtro quis celebraret, mortaliter peccaret, aſſerit D. Thom. 3.p. q.83. a.1. ad 12. in magna tamen neceſſitate, qualis eſt diei feſti, ne populus miſſa careat, aut dandi viaticum moribundo, ſine miniſtro celebrare, licitum putat Diana de celebr. miſ. tract. 14. reſol.43. & miniſter debet eſſe vir, & non mulier ex cap. inhibendum de cohabit. cleric. & mul. ex decr. conc. Mogunt. 1. cap.43. & Azor lib.10. cap.29. quam neque in caſu neceſſitatis admittendam eſſe ſentit Diana vbi ſupra reſol.44. & Layman. lib.4. tract.5. c. 6. n.16. ex auctoritate c.1. de cohabit. cleric. & mulier. vbi dicitur, quod nulla fœmina ad altare præſumat accedere, aut presbytero adminiſtrare, quia inſtigante diabolo, aliquod mentale peccatum perpetrari poſſet.

Admittit in eo caſu fœminam Didacus Nugnus in 3.p. tit.4. q.83. a.6. dub. 1. & ſic celebrantem mortaliter peccare putat Syluius in 3.p. D.Thom. q.83. a.5. in reſponſ. ad 12. quæ opinio mihi non placet, cum ſit contra communem omnium Theologorum, etiamſi poſſunt Moniales à choro ad Miſſam ſolemnem reſpondere, vt multis in monaſterijs conſuetum eſt, ſed nulla illarum ad altare accedit, vt Sacerdoti adminiſtret.

De

Digitized by Google

De Præparatione Sacerdotis celebraturi. Cap. VIII.

SACERDOS celebraturus quatuor præ ceteris ſeruare debet, hoc carmine breuiter deſcripta. Ieiuna , recita , expecta , tua crimina pande , quæ ſic explicari ſolent , nempe , quod Sacerdos celebraturus miſſam , debeat eſſe ieiunus , recitaſſe matutinum cum laudibus , expectare tempus opportunum celebrandi , nempe ab aurora vſque ad meridiem , & confiteri , ſi aliquo peccato ſe grauatum ſentit, & nulla debet eſſe irretitus cenſura .

Debet igitur primò Sacerdos eſſe ieiunus ex cap. liquido de conſec. diſt. 2. & cap. Sacramenta de conſec. diſt. 1. vbi aduerte , quod qui poſt cibum , potumque licet minimum ſumptum , miſſam celebrare præſumpſerit , excommunicationis ferendæ ſententiam ſuſtinebit , quod expreſsè habetur in cap. nihil 7. q. 1. in fine , vt optimè adnotauit Io. Franc. Leonis in theſaur. for. eccl. p. 3. cap. 4. de prohib. & pœnit. n. 59. vbi etiam citat Hoſt. in ſum. S. & qualiter ieiuno n. 13. de conſecr. eccl. vel altar. Inquit inſuper dictus Leon. loc. cit. quod ebrius non præmiſſa digeſtione celebrans eſt beneficio priuandus , cap. ſi conſtiterit de accuſ. & ibi Abb. n. 1. non tamen aliàs ſolùm propter ebrietatem poteſt quis beneficio priuari, vt ibi Abb. n. 3. Hoc autem ieiunium debet eſſe ieiunium naturale, quod requirit , vt nihil omninò ſiue cibi , ſiue potus ſumatur , etiam in minima quantitate, ita vt etiam gutta aquæ minima frangat huiuſmodi ieiunium , quin immò eſt tantæ neceſſitatis , vt celebraturus ſit ieiunus ieiunio naturali, vt etiamſi communicandus eſſet infirmus in articulo mortis conſtitutus , & Sacerdos non eſſet ieiunus , à celebratione abſtinere debet , ex communi omnium ſententia, & ratio eſt , quia maior ratio habenda eſt reuerentiæ

Digitized by Google

huius Sacramenti, quàm neceſſitati proximi, prout probat Diana tract. 14. de celebr. miſ. reſol. 66. maxima Doctorum caterua id approbante, quos ille refert loc. cit. & ſolum in tribus caſibus Sacerdos non ieiunus conſecrare poterit.

Primo pro integritate Sacrificij, vt quando Sacerdos aquam, vel acetum pro vino in calice poſuit, & illam poſt ſumptionem hoſtiæ pro ſanguine ſumit, tunc enim vel de nouo debet conſecrare hoſtiam, & calicem, apponendo vinum, vel ſaltem conſecrare denuo vinum tantùm, cum ſolita aqua, vt ſacrificium integret, ita D. Thom. 3. p. q. 83. a. 6. a. 2. Tab. V. communicare §. 42. Vict. in Sum. num 101. & alij.

Secundo quando poſt ſumptionem calicis, & eius ablutionem videt reliquias hoſtiæ in patena vel corporali exiſtentes, etiamſi ſumpſerit ablutionem debet illas aſſumere, ita aſſerunt communiter Doctores, & præcipuè Nauar. c. 25. n. 8. Enriquez in Sum. lib. 8. c. 50. n. 2. Caiet. in V. Miſſa, Sylu. Vict. & alij cōtra Paludanum in 4. diſt. 9. q. 1. & Roſel. V. Euchariſtia 3. §. 13. oppoſitū aſſerētes, quod ſi ſacerdos animaduerteret adeſſe particularum reliquias ab alio ſacerdote conſecratarum, quod ſæpè accidere ſolet, quando in pixide communicauit in fine miſſæ plures, tunc illas non poteſt aſſumere, ſed illas debet conſeruare, ſi id commodè fieri poterit, nempe in pixide tabernaculi, vel ſi adſit dubitatio an ſint, vel non ſint conſecratæ, in ſacrario ponantur, donec conſeruentur, alioquin poſſunt licitè ſumi, & ratio eſt, quia illæ reliquiæ per modum vnius cibi, & complementi vnius integri conuiuij, & ſacrificij ſumuntur, quia totius omninò hoſtiæ & calicis conſumptio prout includit etiam ſumptionem ablutionis, cenſetur vna actio, ſeu continuatio eiuſdem actionis.

Tertio quando celebrans poſt conſecrationem recordatur, ſe non eſſe ieiunum, debet ſacrificium perficere, & ſpecies conſecratas ſumere, vel ſi poſt conſecrationem hoſtiæ ſacerdos deficiat, ſi non poſſit haberi alius ſacerdos, qui perficiat ſacrificium, a non ieiuno perfici debet, & ratio eſt, quia præceptum de perfectione Sacramenti maioris eſt ponderis, quam quod à

ieiu-

Digitized by Google

ieiunis ſumatur, inquit ipſamet rubrica miſſalis, ita probat latiſſimè Diana vbi ſup. reſol.46. quod ſi ante conſecrationem recordatur ſe non eſſe ieiunum, deſiſtat, niſi adſit ſcandalum.

Iſtud ieiunium debet computari à media nocte ſuperiori; verum eſt tamen, quod huic ieiunio naturali non obſtant particulæ cibi præcedentis relictæ intra dentes, ſi deglutiantur, quia id non per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ ſumitur, per cuius ſumptionem non frangitur dictum ieiunium.

Notandum hic eſt, quod ieiunium naturæ dicitur ieiunium ieiunij, quod ad Euchariſtiæ ſumptionem requiritur, vnde per vnicam comeſtionem, vel potationem ſoluitur; ieiunium autem ab Eccleſia inſtitutum dicitur ieiunium ieiunantis, & illud non ſoluitur per cibaria licita, & horam ordinatam, ſed ſolum per ea, quæ Eccleſia interdicit, vt D. Thom. 2. q. 147. a. 6.

Inſuper ſciendum, quod huiuſmodi ieiunium pro ſacrificio non eſt de iure diuino (Chriſtus enim non ieiunus inſtituit, & non ieiunis primò miniſtrauit) ſed eccleſiaſtico, obligans tamen ad peccatum mortale, & fuit impoſitum ob reuerentiam ſacramenti, & propter ſignificationem. Notandum eſt etiam, quod quando in caſibus prædictis eſt iterum conſecrandum, non debet fieri noua eleuatio hoſtiæ vel calicis, ex Tol. lib. 2. cap. 1. inſtit. Sacerd.

Non intelligitur contra hoc ieiunium errare ſacerdos, quando in ſumptione ſanguinis hoſtiæ particula manſit in calice, quam ex rubr. miſſal. cum vino ſuppoſito, & calice circumducto ſumere poteſt.

Secunda conditio, quæ Sacerdotem ritè præparat, eſt recitatio diuini officij, ſcilicet matutini cum laudibus ex rubrica expreſsè, an verò miſſam celebrando ante matutini recitationem ſit peccatum mortale, vel ne. Non me latet eſſe maximam controuerſiam inter Doctores, alios quidem affirmantes, & alios negantes eſſe peccatum mortale, quos omnes commodè videre poteris penes Barboſam de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 24. n. 15. & longè melius apud Cenedum in ſuis can. 99. q. 3. n. 7.

à Dia-

Digitized by Google

à Diana relatum in tract. 14. de celebrat. miſſ. reſol. 36. Nos cum ipſo Diana negatiuam ſequimur, maximè ſi adſit aliqua rationabilis cauſa, & ratio præcipua, quæ nos mouet ad hanc ſequendam opinionem eſt, quia matutinum cum miſſa ex ſui inſtitutione, ſeu fine nullam habet connexionem, nam preces horariæ adinuentæ ſunt ad cultum diuinum Deo reuerenter exhibendum, miſſa verò ad memoriam paſſionis Chriſti recolendam, ita Syluius in 3.p.q.83.a.2. a Diana relatus, vbi ſupra, præterea etiam; quia multoties miſſa diſcordat ab officio.

Quoad tertiam conditionem in ſacerdote requiſitam, nempe, vt expectet tempus opportunum, quod eſt ab aurora vſque ad meridiem, iam ſatis, ſuperque diximus ſupra, quando de tempore miſſæ celebrandæ diximus.

Quarta conditio eſt, vt Sacerdos præmittat tanto myſterio, quod ipſi etiam Angeli tremebundi venerantur, confeſſionem ſacramentalem, ſi ſe lethali culpa grauatum ſentiat, ita in cap. de homine, de celebr. miſ. ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. & can. 11. nec ſufficit contritio, niſi in duobus caſibus, nempe ſi poſt quam acceſſit ad altare, recordatur, ſe exiſtere in peccato mortali, & tunc ſi recordatur ante conſecrationem, & citra omne ſcandalum poterit recedere ab altari, recedat, & confiteatur, inquit Tol. vbi ſupra, ſi verò poſt conſecrationem id aduertat, maximè doleat per contritionem & proſequatur, idem dicendum eſt, ſi ſibi ſubeat in mentem excommunicatio, vel aliud impedimentum, tunc enim poteſt continuare, nec incurrit irregularitatem ex eodem Tol. loc. ſup. cit.

Alius caſus eſt quando celebrare tenetur ex officio; vel neceſſitate, & confeſſarij copia non adeſt, tunc maximè conteratur, & quàm primum confiteatur, vt Conc. Trid. præſcribit.

Diximus, quòd Sacerdos celebraturus nulla debeat eſſe cenſura irretitus, vel alio impedimento detentus, ſicuti eſt irregularitas, vbi notandum eſt, quod licet multa ſint impedimenta, quæ a ſacris ordinibus, & præcipue a ſacerdotio homines arcent, præſertim id operatur irregularitas ex defectu corporis,

quæ

Digitized by Google

quæ aliquando poteſt ſuperuenire iam promoto, & tunc impedit exercitium ordinis, habita tamen ratione impedimenti; nam tale poterit eſſe, vt impediat vnum actum ordinis, & alium permittat, ſicuti eſt cœcitas ſuperueniens iam ordinato, quæ impedit vtique celebrationem, ſed non impedit auditionem Confeſſionum, etiamſi à Summo Pontifice aliquando non ſine ſingulari admiratione ſuper tali defectu diſpenſatum fuerit, & huius rei tria affert exempla Tho. Bozius de ſig. eccl. tom. 2. lib. 22. ad ſignum 93. c. 4. §. Theologi Eminentiſſimi ex Io: Trithemio, quæ quoniam re vera miranda ſunt, ſilentio ea non præterire, mihi viſum eſt. Lege igitur, & mirare.

Nicaſius de Voerda Mechilienſis natione Theutonicus, patria Brabantinus captus à tertio ætatis ſuæ anno oculis, & ob id elementorum omnium naturaliter penitus ignarus ad grande miraculum vſque in omni doctrina, & ſcientia tam diuina, quàm humana erudiriſſimus euaſit; nam in gymnaſio Colonienſi (vbi & mortuus eſt anno 1491.) iura publicè docuit, libros vtriuſque iuris, quos nunquam vidit, auditu didicit, tenuit mente, apertè recitauit, in Vniuerſitate Louanienſi gradum Magiſterij in artibus primo ſuſcepit, ſcholas poſtea aliquanto tempore Mechiliniæ rexit, deinde Louanium reuerſus, in ſacra Theologia licentiatus conſtituitur, & ſingulari diſpenſatione Apoſtolica Sacerdos ordinatur, prædicat publicè, audit confeſſiones, ad altare miniſtrat, Euangeliũ cœcus coram omnibus (mente vtens pro libro) recitat, tantum ad altare diuina per ſe non celebrat.

De Carolo Phernando natione Theutonico, & Brugis oppido Flandriæ orto, refert Trithemius, quod à parua ætate orbatus viſu, in diuinis, ac humanis litteris eruditiſſimus, & Monachus S. Benedicti effectus, Apoſtolica diſpenſatione Leuita ordinatus, verbum Dei cum maximo omnium fructu, & admiratione publicè prædicauerit. Genebrardus autem in ſuo Chronico ſub annum Domini 1550. Marcello Summo Pontifice ſedente dicit, quòd Robertus Mancop. Scotus à puero cœcus vſque eò in litteris Pariſijs profecit, vt Theologiæ Doctor Ro-

mæ creatus, Archiepiſcopus Armacanus, deinde Legatus à latere in Hibernia fieret. Quibus exemplis à Bozio vbi ſupra relatis, & nos quartum oculati, & auriti teſtes addere poſſumus: dum enim Romæ Doctoratus inſignia iam iam ſuſcepturi litterarum ſtudijs operam dabamus frequentiſſimi R.P.Paulum Mariam Ardizzonem Ianuenſem Ordinis Cleric. Regul. in Eccleſia S.Andreæ de Valle ſimiliter captum à ſecundo, vel tertio ætatis ſuæ oculis, è ſuggeſtu publicè per integram Quadrageſimam concionantem, non ſine multorum admiratione, & vidimus, & audiuimus, qui R.Paulus per ſpatium 40.annorum tam Romæ, quàm in alijs principalioribus Italię Ciuitatibus Theologiam legit, tandem Romæ anno 1628. ſeptuagenarius obijt die 10. Ianuarij.

Sacerdos igitur præuia confeſſione (ſi ſibi opus eſſe nouerit) & ab omni cenſura, & canonico impedimento liber, matutino cum laudibus recitato, & tempore opportuno ieiunus ad altare celebraturus accedere poterit.

Animaduertat tamen, ne vnquam annulum geſtet in digitis, dum Miſſam celebrat, etiamſi ſit Prothonotarius ex numero eorum, qui dicuntur non participantes, vel Doctor, quia fuit expreſsè prohibitum à Sac.Rit. Cong.die 11. Febr. 1623. ſicut etiam prohibitum fuit Canonicis Eccleſiarum Cathedralium, qui ſe maiores æſtimabant Prothonotarijs, ex alio decreto eiuſdem Cong.die 20.Nouemb.1628.vbi Canonicorum nomine hac in re intelliguntur etiam dignitates, ſiue ſint, ſiue non ſint de gremio capituli, vt benè aduertit Gauantus in Theſ. par. 2. tit.1.

Similiter pileolo prorſus non vtatur Sacerdos in Miſſa ſine præuia diſpenſatione Apoſtolica, quia nedum prohibitum fuit à Zacharia Papa in Synodo Rom.cap.13.& 14. vt expreſsè habetur in cap. Nullus de conſec. diſt.1. verùm etiam per iterata decreta Sac.Cong.ſuper negotia Epiſcoporum, & præcipuè die 2. Ianuar.1590.& 17. Ianuar.1595. in quibus apparet ab ipſamet Cong.conceſſum fuiſſe vſum pileoli (extra canonem tamen)

Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcopo Fauentino, & reſponſum fuiſſe Archiepiſcopo Vrbinati, eo non poſſe vti ſine licentia Sedis Apoſt. & idē Sac.Cong. Rit.decreuit die 31.Ianuar.& 22.April.1626.ad Papam ſcilicet ſpectare hanc diſpenſationem,& propterea prædictæ Sacræ Cōgregationes ſimilem gratiam petentes, conſtanter remittunt ad Papam, vt diſpenſet, prout vltimò reſpondit die 26. Febr. & 7. Aug.1628.vt diffusè videre poteris penes Gauantū in Theſ.p.2 tit.2. Caueat etiam, ne dicat aliquam Miſſam conceſſam tantummodo nonnullis Regularibus, & alijs prohibitam, vt eſt Miſſa Roſarij, conceſſa tantùm Ordini Prædicatorum ex decr. Sac.Rituum Congr.die 25.Iun.1622.& rurſus die 8.Apr.1628. in quo decreto Miſſa S.Mariæ de Carmelo conceditur Carmelitis, & alijs omnibus prohibetur, etiamſi eas vellet dicere in Eccleſijs dictorum Regularium.

Dices, ſi quis habeat onus ex teſtamento celebrandi Miſsā de Roſario, vel de Mōte Carmelo, vel aliā ſimilē, nū ipsā celebrabit?

Reſpondet Gauant.loc.cit.p.4.tit.17.Sacram Congreg.conſulendam eſſe, à qua ſolet concedi Miſſa communis de B.Virg. ex decr.6. Maij 1623. Quod ſi detur elemoſyna pro miſſa votiua Roſarij, vel ſimilis, crederem, te poſſe liberè vti dicto decreto dicendi Miſſam communem de B.V. vt ſupra.

Sed quid agendum, ſi exigatur Miſſa votiua de Aſſumpt. vel Natiuit.B.V. vel alia huiuſmodi extra diem, vel infra octauam dictarum feſtiuitatum?

Reſpondet idem Gauant. vbi ſup. dicendam eſſe miſſam votiuam B.Virg.de tempore, vt in Miſſali, cum intentione tamen illam dirigendi ad honorem Aſſumptionis, ſeu Natiuitatis B. Virg.&c.aliàs dedecere videretur dicere nonnulla in dictis miſſis incongrua reſpectu temporis.

Non dicat Miſſam de Requie in feſto duplici de præcepto in Altari pro certis diebus priuilegiato ex decr. Sac. Cong.24. April.1627.niſi forte præſente cadauere, iuxta Rituale Pauli V.

Non dicat Miſſam S.Gregorij pro viuis,& defunctis, quindecim Auxiliatorum, & de Patre æterno, quia ſunt prohibitæ ex

decreto die 6. April. 1628 Non ſunt autem prohibitæ triginta à miſſæ D. Gregorij, de quibus loquitur dictus Sanctus lib. 4. Dialog. cap. 55. ex nouo decreto die 28. Octob. 1628.

De Præparatione Calicis. Cap. IX.

CALIX ex rubr. miſſalis hoc ordine præparatur: Super os calicis ponitur Purificatorium, & ſuper ipſum patena cum hoſtia, quæ parua palla tegitur, tum velum ſupponitur, & ſuper velo burſa intus habens corporale plicatum. Calicem ab ipſomet Chriſto Domino conſecrante, nos accepiſſe notum, & eſt teſtatum in Euangelio Matth. c. 26. Marci 14. & Lucæ 22. & vt ait Paſcaſius lib. de corp. & ſang. Dom. cap. 21. ex Chriſti facto mos inoleuit, quod illius ſanguis nunquam in catino, nunquam in cratere, vel in alio vaſe, quàm in calice conſecratur, qui debet eſſe aureus, vel argenteus, aut ſaltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & ſimul cum patena itidem inaurata ab Epiſcopo conſecratus, ita præſcribit rubr. nouiter reformata miſſal. Romani. Calices in primitiua Eccleſia ex diuerſa materia confecti fuere: nam Baronius ad ann. Chriſti 34. ex ipſo Beda Chriſtum in argenteo calice, in vltima Cœna conſecraſſe teſtatur, & Valentini in Hiſpania credũt Chriſtum in eadem cœna vſum fuiſſe calice lapideo prætioſo ex agatha ex Io: Carthagena hom. 26. de Euchariſt. Principio, vt communiter notant Doctores, & præcipuè Rodulphus de Can. obſ. propoſit. 23. Strabo de reb. eccl. cap. 24. Durand. de rit. Eccleſ. lib. 1 cap. 7. nu. 2. & alij apud Serran. prælud. 2. nu. 12. ob Chriſtianorum paupertatem lignei erant calices vſque ad tempora S. Zephyrini, & Apoſtoli, illiſque proximi Sacerdotes dictis ligneis calicibus vſi fuere ex Honorio in Gemma lib. 1. cap. 89. qui S. Zephyrinus vixit circa ann. Rom. 221. conſiderãs enim hic Summ. Pontifex, quòd lignum propter poroſitatem fa-

cilè

Digitized by Google

cilè ſanguinem conſecratum imbibere poſſet; propterea ligneis calicibus prohibitis, vitreos decreuit, vt videre eſt apud Damaſum in eius vita, & de conſec.diſt.1. in cap. Vaſa in quibus. Calix & patena ex vitro in vſu fuere à tempore Zephyrini Papę vſque ad Conc.Rhemen. quod temporibus Caroli Magni celebratum eſt circa ann.Dom.814. ſub Leone Tertio Papa, quicquid dicat Serranus vbi ſupra, nempe quod huiuſmodi Zephyrini inſtitutio breui fuerit tempore antiquata, & de calice vitreo non ſolùm meminit D.Hieron.ep.4. ad Ruſticum, loquens de S. Exuperio Toloſano: nihil inquit, illo ditius, qui Corpus Domini caniſtro vimineo, Sanguinem portat in vitro; ſed etiam S.Cyprianus Gallus in vita S.Ceſarij Epiſc. Arelaten. An non, inquit, in vitro habetur Sanguis Chriſti, & S. Greg. Papa lib. 1. Dialog. cap.7 Calicem vitreum fractum in priſtinum reſtitutum à S.Donato Aretino teſtatur, & de patena vitrea mentio habetur in lib.de Rom.Pont.in Zephyrino Papa. In Concilio autem ſupradicto Rhemenſi, cap.6.prohibiti ſunt calices vitrei, idque rationabiliter ob aſſiduum periculum, quod materiæ tam fragili ſemper imminet; Argenteos, & aureos calices Vrbanus I. inſtituit, vt habetur de conſec.diſt.1. cap.Vaſa, in quibus ex Conc. Triburienſe cap 18. qui Pontifex vti, ex ipſo probatur, Damaſo miniſteria omnia ſacrata fecit argentea, vt in vita dicti Vrbani I. Ex ſtanno fieri poſſe calices permiſit Conc. Rhemen. ſupradicto loc. cit. & expreſsè habetur de conſec. diſt. 1. cap. & calix, in quo quidem capitulo, licet expreſsè non prohibeantur, niſi calices ex ære, & auricalcho; attamen propter paritatem rationis intelliguntur prohibiti etiam calices ex cupro, vulgò rame, quia ex ære, & auricalcho prohibentur propter æruginem ſeu rubiginem, quæ vomitum prouocat, & quoniam etiam cuprum eumdē patitur defectum, idcircò neq; ex ipſo calices fieri poſſunt. Aſtenſis lib.4.ex plumbo fieri poſſe, concedit, eò quòd ipſum ſub ſtanni ſpecie contineri falsò putat, ſed meritò reijcitur à Syluestro V. calix; quia etiam plumbum rubiginem contrahit. Ex lapide quantumuis pretioſo fieri non poteſt calix ob

ſuam

Digitized by Google

ſuam naturalem ineptitudinem, inquit Syluester, vbi ſup. ſiue dicas, hanc conſiſtere in ruditate, ſeu vilitate materiæ, ſiue quod nunquam ad tantam ſubtilitaem, quanta requiritur, vt ſanguis ex calice commodè ſorberi poſſit, reducetur, quin idem vitri, ac cryſtalli periculum, nempe fragilitatis ſubeat. Cum igitur ex dictis capitulis, Vaſa, in quibus, & Vt calix, & ex ipſa rubric. noua miſſalis præſcribatur, Calicem, & Patenam ex auro, argento, vel ſtanno confici debere, omnis alia materia, quæcunque illa ſit excluditur, vt benè aduertunt Syluester vbi ſup. Tol. lib. 2. cap. 2. & alij.

Sciendum tamen, quod dum Summi Pontifices, & ſacri canones materiam Calicis conficiendi prçſcribunt, debere eſſe ex auro, argento, vel ſaltem ſtanno, id intelligendum eſt de cuppa calicis, quæ Chriſti ſanguinem immediatè tangere debet, & ratio potiſſima eſt, quia ex cuppa ſola, ſi ex alia fieret materia, quàm ex auro, argento, vel ſtanno, periculum vomitus, vel fragilitatis oriri poteſt: Pes autem, & reliquæ partes calicis ex receptiſſimo Eccleſiæ vſu, ex alia materia fieri poterunt, ſicut & patena, dummodo iuxta Rubric. omnia a parte interiori deaurentur, & hinc colligitur, quàm laudabilis ſit Bonaccinæ opinio, qui tom. 1. de Sacram. diſp. 4. q. vlt. propoſ. 3. putat, Epiſcopum non poſſe diſpenſare ſuper materia calicis, niſi iuxta canones, & rubricam fuerit confectus, cuius ratio validiſſima eſt, quia Sacri Canones ex Sacrorum Conciliorum, vel Summorum Pontificum decretis, ſeu ex ſanctorum Patrum doctrina ab eiſdem approbata, confecti ſunt, ſuper quibus Epiſcopus diſpenſare nequaquam poteſt, quoniam eſt illis ſubditus. Præterea cap. vlt. de celebr. miſs. deponitur ab officio, & beneficio, qui in vaſe ligneo conſecrat, quæ pœna ab Epiſcopo tolli nequaquam poteſt.

Calix, & Patena ante vſum debet conſecrari ab Epiſcopo tantùm ex Rubr. Miſſal. & Conſecrationis modus habetur in ordine Romano, debent etiam Sacro Chriſmate inungi ex decreto S. Sylueſtri Papæ apud Innoc. Tertium in epiſt. decret. pro-

pterea

Digitized by Google

pterea enim vocantur vaſa ſacra, vt in cap. In ſancta de conſec. diſt. 1. & eius contactus in Conc. Laodiceno cap. 21. fuit interdictus etiam Subdiaconis, quibus poſtea in Conc. Bracharen. 1. cap. 28. fuit conceſſus, & alijs inferioribus denegatus in Conc. Rom. 2. c. 9. Patena antiquitus longè maioris erat latitudinis, quàm nunc, quia tunc temporis in Miſſa ſemper multi communicabantur, & patena pro Pixide adhibebatur, vt annuit Gauant. in Theſ. Sac. Rit. p. 2. tit. 1.

Calicis conſecratio perdurat vſque quo frangatur, vel pes à cuppa ſeparetur, quæ ſeparatio ſi fieret ſine fractura, vt accidit in Calice iuncturæ tornatilis, non amittetur conſecratio, vt ex Suarez diſp. 81. ſeſſ. 7. & ex alijs Doctoribus probat Bonacina vbi ſup. num. 19. contra Angelum, & Paludanum, oppoſitum ſentientes, quia ſic vſu receptum eſt, inquit Bonac. Amittit etiam conſecrationem Calix, ſi de nouo deauretur, vnde debet iterum conſecrari, ſed ſi deauratio propter vſum conſumatur, non amittitur conſecratio. Sic communiter Doctores apud Bonac. vbi ſupra. An verò peccent mortaliter inferiores Subdiacono tangentes calicem, negat Bonac. vbi ſup. pun. 9. nu. 22.

Sed quid ſi Calix fuerit totus argenteus, & ſine deauratione conſecratus, numquid ſi poſt conſecrationem deauretur, erit iterum conſecrandus?

Affirmatiuè reſpondet Sylu. & Angelus in Summa V. Calix ex mente Petri de Palude; ſed ſi iſta deauratio in totum conſumatur propter aſſiduum vſum, Calix non eſt iterum conſecrandus, & ratio potiſſima eſt, quia Calix argenteus prius erat conſecratus, & conſecratio remanet in argento, vt ſupra dicti Sylu. & Ang. affirmant; iure meritò igitur nouiter deauratus Calix iterum conſecratur, quia ratio principalis conſecrationis eſt propter contactum ſanguinis. Quod ſi per diſpenſationem Summi Pontificis, ſeu ex eiuſdem tolerantia fieret ex cupro, & cuppa intus deauraretur, & deauratio propter vſum deperderetur, abſque dubio amitteretur conſecratio, quia cuprum rubiginem parit, quæ vomitum prouocat, quod non accidit in cupra aurea,

argen-

Digitized by Google

argentea, vel etiam ſtammea. Patena licet ex eadem materia calicis conficienda ſit, ex cap. Vaſa, in quibus, & cap. Vt calix; attamen ex receptiſſima, illaque viridi conſuetudine Eccleſiæ ex cupro deaurato permittitur, & ratio eſt, quia nullum adeſt periculum vomitus ex contactu hoſtiæ cum patena, & cuprum ſicut æs, & auricalcum propter ſolum periculum vomitus excluduntur.

Quod inde maximè colligitur, quia Pixis Sacra, in qua diu hoſtiæ conſecratæ aſſeruantur, non eſt neceſſe, vt ſit eiuſdem materiæ, cuius eſt Calix, vel Patena: quia nullum vix extat de hac re, vt inquit Suarez in 3.par.diſput.81. ſect.7. apud Gauantum in Theſ. p.2. tit. 2. & ſimplici benedictione, ideſt ſine vnctione ab eo, à quo & corporale benedici poteſt; ex auro tamen, vel argento puro intus deaurato fieri decet.

Purificatorium ad extergendos digitos perfuſos, & ad tergendum calicem adinuentum eſt; è tela neque tenui, neque craſſa nimis confici debet, in cuius medio Crux paruula acu pingenda eſt, vt à manutergio facilè cognoſcatur, ex Conc. Prouinc. 3. Mediolan. & licet non ſit neceſſario benedicendum ex Suarez. vbi ſup. ſect.8. quia propria eius benedictio in ritualibus non reperitur: attamen poſt vſum non debet ab inferioribus Subdiacono tangi.

De Hoſtia inferius agemus.

Corporale, & parua Palla, quæ ſuper patenam, vel ſuper os Calicis ponitur, ex lino confici debent, ne dum ex cap. Conſulto, de conſec.diſt.1.ſed etiam ex ipſa Rubrica expreſsè, & licet Azorius (cuius ſententiam non reſpuit Gauantus in Theſ.par.2. tit.1.lib.10. cap.28.q.8.ex canabe fieri poſſe concedat; attamen poſt Rubricam nouam Miſſalis, id ego concederem, niſi in parua palla tantum, & non in corporali, & ratio eſt, quia ipſa rubrica diuerſimodè loquitur de palla, & de corporali; nam de palla loquens dicit, quod debet eſſe linea, ſed loquens de corporali ſuperaddit ex lino tantum, præſcribit materiam lini; & omnem aliam excludit, & ſi dicas, quod ex generali regula com-

Digitized by Google

muniter recepta ex eadem materia fit palla, ex qua corporale: ego reſponderem, quod antiquitus parua palla, qua modò ad tegendum os calicis vtimur, ne aliquid indecens in ipſum cadat, non erat in vſu, niſi apud aliquos, vt ex D. Anſelmo in lib. de diuerſ. ſacram. probat Gauantus, vbi ſupra, eam fortaſſe ob cauſam, quia corporale, quod magna palla vocabatur ex cap. Sacratas diſt. 23. tantæ erat amplitudinis, vt extenſum altera ſui parte calicem ipſum tegeret; at quoniam experientia teſte, id nonniſi cum aliquali incommodo, & fortaſſe etiam periculo fiebat. Propterea D. Anſelmus loc. cit. ſuadebat, vt os calicis parua palla à corporali diuiſa, & diſtincta operiretur, & ideo ex eadem omnino materia, ex qua corporale, fiebat: modo verò, quia eſt quid diſtinctum à corporali, & non ordinatur ad tangendum immediate corpus Chriſti, ſicut corporale, idcirco à rubrica non tam ſtrictè pręſcribitur materia lini paruę pallę conficiendæ, quin etiam ex cannabe fieri poſſit, ſecundum Azorium, ſicut præſcribitur corporale ex lino tantum, tanquam ex materiā digniori, & ad digniorem, ſeu nobiliorem effectum ordinata, nempe ad immediate tangendum corpus Chriſti. In corporali, & parua palla conficiendis non debet miſceri alia materia, etiam pretioſior, ex Conc. Rhemenſi cap. 3. quod intelligendum eſt de parte interiori tam corporalis, quàm pallæ; nam in corporalis parte externa, & in pallæ tam externa, quàm ſuperiori, poteſt vtique ſericum, vel aureum ornamentum ſuperaddi, vt colligitur ex rubrica, & expreſsè docet Suarez in 3. p. 6. Thom. diſput. 8. ſect. 6. Corporalis plicatura præſcribitur à Gauanto, vbi ſupra ex Alcuino cap. 2. de celebrat. Miſſ. ita vt nec initium, nec finis appareat (vt in Chriſti ſepulchro fuit inuentum ſudarium) vt pars interior mundior conſeruetur, & propterea ſemper in hac facie interiori corporalis hoſtia, & calix poni debent. Corporale, & palla ſimul benedicuntur ab Epiſcopo, vel ab alio facultatem habente, vt ſupra oſtendimus.

Lauari debent non in vaſe communi, ſed ad id deputato, ſicut etiam purificatoriū, & eius lotio in ſacrarium proijciendū, cuius

F tactus

Digitized by Google

tactus poſt benedictionem,vt calicis, & patenæ laicis omnibus, etiã ſacratis feminis inhibetur ex decreto Soteris Papę, c.ſacratas,diſt.23.ſed poſt lotionẽ poteſt tangi, non tamen poſt vſum.

Ipſis notabiliter immundis vti, peccatum mortale eſt,ex Emmanuele Sà V. Sacra, & eſt communis opinio à fortiori de alijs ſacris veſtibus,de quibus ſupra, & hoc ratione contactus immediati corporis Chriſti, in quo tangendo ſumma & reuerentia & munditia requiruntur: ipſius auctor eſt Euſebius Papa, ante Syluestrum,quem communiter auctorem faciunt,vt ex Burchardo lib.7.Decret. cap. 99.& ſi Polidorus Virgilius lib. 6.cap.12. id Sixto Papę adſcribat. In eius extenſione ſuper Altare id aduertendũ eſt,vt ora corporalis orã altaris tangat,vt manus ſacerdotis poſt conſecrationẽ intra corporale cõmodius cõtineantur.

Intra burſam, purificatione penitus abſoluta, omnino recludendum eſt ad eius munditiem conſeruandam, alioquin burſa ſuperflua erit, quæ recluſio à nonnullis tam neceſſaria iudicata eſt, vt Hiſpani, Hieronymo Cortono teſte,in ſuo ordinario diu. offic. à Pio V. diſpenſationem obtinere voluerint,vt corporale extra burſam citra conſcientię ſcrupulum circumferre poſſent.

Hæc burſa, quam Moguntinum chronicum peram appellat, & cum colore paramentorum conuenire debet, ante concilium Rhemenſe non videtur in vſu fuiſſe,ob eam fortaſſe rationem, quia antiquitus calix,& omnia eius præparatoria velo cooperiebantur, vt colligi poſſe videtur ex Amalorio prędfat.2.ad lib. de offic. eccleſ.

Velum, quod modo ſericum ex rubrica adhibetur ad calicem tegendum, antiquitus lineum fuiſſe conijcitur ex canone 72.Clement.quia ibi lauari iubetur. Veli, ſicut nec burſę benedictio in Ritualibus nõ reperitur, & propterea etiã à laicis tangi poſſunt,citra peccatũ,& ſine ipſis ſacrificium non incõmode fieri poteſt. Victorianus Prędmolus in memor. cleric. p. 3.c. 7.velum inter alia neceſſaria ad ſacrificandum requiſita, ſub mortali enumerat; ſed eius aſſertum tanquam gratis dictum, meritò à Gauanto reijcitur. quia nullo auctore,nullaue ratione firmatur.

De

Digitized by Google

De materia conſecranda in ſacrificio Miſſæ, ideſt de Pane, & Vino. Cap. X.

MATERIA conſecranda in ſacrificio Miſſæ de neceſſitate ſacramenti eſt panis triticeus, & vinum vitis, ita definitum fuit in Conc. Flor. in dec. Eugenij Papæ ex receptiſſimo ad vnguem, & inuiolabiliter ſeruato totius Eccleſię Catholicæ vſu ab Apoſtolis tradito, & ex vniuerſaliſſima omnium Sanctorum Patrum, & Doctorum Catholicorum ſententia; tum quia Chriſtus de ſe ipſo loquens, grano frumenti ſe comparauit. Io. cap. 12. tum etiam, quia in hac ipſa materia conſecraſſe creditur, ex D. Thom. 3. par. quæſt. 74. art. 3. & alijs communiter. Dixi de neceſſitate ſacramenti, nedum quia extra ſpeciem panis triticei, & vini vitis in nulla alia materia, neque etiam ex diſpenſatione Papæ fit ſacramentum Euchariſtiæ, verum etiam quia, vt ſacerdos latinus in pane triticeo azimo, & græcus in pane triticeo fermentato iuxta ritum propriæ Eccleſiæ conſecret, & vterque vino vitis parum aquæ naturalis intra calicem addat, eſt de neceſſitate præcepti, non de neceſſitate ſacramenti; nam ſi latinus in fermentato, & Græcus in azimo, & vterque cum vino ſine aqua celebrent, conficerent vtique ſacramentnm, ex cap. litteras de celebr. miſſ & ex cap. In ſacramento, de conſec. diſt. 2. & ex cap. Scriptura, eodem tit. ſed ambo grauiſſimè peccarent: quia contra Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem facerent: ita D. Thom. vbi ſup. art. 4. Verùm eſt tamen, quòd ſummus Pontifex cum nonnullis ſacerdotibus Eccleſiæ græcæ in Eccleſia tam Occidentali, hoc eſt, vbi viget ritus Eccleſiæ Latinæ, poteſt diſpenſare, vt non ſolum in idiomate, ritu, & more latino; ſed etiam in idiomate, ritu, & more græco, tam in priuatis, quam in ſolemnibus miſſis in azimo celebrent, & conſecrent, vt oculati, & auriti teſtes millies vidimus, & audi-

uimus peractum à religioſis ſacerdotibus S. Baſilij Cryptæ ferratæ in agro Tuſculano degentibus, nunquam vero diſpenſatum audiuimus, aut legimus, vt ſacerdos latinus in fermentato poſſit celebrare, quod nequaquã ſummus Pontifex facere poſſet ſi hoc eſſet de neceſſitate ſacramenti, cuius ratio potiſſima eſt, quia Theologorum omnium conſenſus, & præcipuè D. Thom. 3.par.q.60. art.5.affirmat, quod materiam ſacramentorum ſolus Deus determinat. Panis ergo triticeus, & vinum vitis de neceſſitate ſacramenti eſt, eſſe verò azimum, vel fermentatum eſt de præcepto Eccleſiæ; vnde rationabiliter reijcitur opinio Franciſci Maioris in 4.diſt.49. q.3. falsò exiſtimantis, ſacerdotem pro ægroto in extremis laborante poſſe etiam extra ſacrificium in fermentato conſecrare, & ſine ſacris veſtibus ex append. Victorelli ad notas cap.8.de off.curat. Poſſeu. ſicut etiam de præcepto Eccleſiæ eſt appoſitio aquæ, prout expreſsè declarauit Conc. Trid.ſeſſ.22 cap.7.& cap.cum omne de conſec.diſt.2. & ex decret. Alexandri Primi Papæ ex c. ſacramentorum eodem tit.& hæc aqua debet eſſe naturalis, vt ex cap.In quodam de celebrat.miſſ.quod ſi alia aqua, ſeu liquor admiſceretur præter naturalem, conficeretur vtique ſacramentum, quoniam aqua non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſed conficiens grauiſſimè peccaret, ex D.Thom.vbi ſupra, debet etiam hæc aqua poni in minori quantitate, quam vinum, ex cap. Pernicioſus, eodem titulo, non ſufficit appoſitam fuiſſe in dolio, ſed eſt apponenda ipſa celebratione imminente, ſeu quando ſacra myſteria inchoantur, ex D.Thom.vbi ſup.art.8.& Sylueſt.v.Euchariſtia, 1.§.3.quæritur, & hoc ne deſit myſterium vnionis Chriſti cum Eccleſia, ſiue vt aqua ſit mixta prius vertatur in vinum, & vinum poſtea ex vi conſecrationis in ſanguinem, & clariſſimè colligitur ex cap.ſic in ſanctificando, de conſec.diſt.2.

Quòd ſi quæras, cur à ſacerdote benedicitur aqua, quando vino admiſcetur, & vinum non benedicitur?

Reſpondeo cum Durando in Rot lib.4.cap.30.nu.21. quod aqua benedicitur, quia iſta ſignificat populum, vt Apoc. c.77. qui

Digitized by Google

qui dum eſt in hac vita eget benedictione, quia ſine peccato eſſe nequit; vinū aut ē ſignificat Chriſtū, qui nulla benedictione eget.

Dixi extra ſpeciem panis triticei non poſſe fieri ſacramentum, quia quandoque ob admixtionem hordei, ſpeltæ, auenæ, ſeu etiam ſelicæ, ſiue cuiuſuis alterius materiæ, dubium eſt, an ſit panis triticeus? Regula eſt, quòd ſi materia admixta ſit in maiori quantitate, quàm triticum, vt panis non ſit triticeus, vel dubietas oriatur ex ipſa materia, nempe ſi panis fiat ex ſecana, de qua eſt dubium, an ſit ſpecies tritici, quæ hæc oritur ex ipſo frumento; ſeritur enim frumentum, ſeu triticum, & ob defectum terræ, ſeu ob cœli inclementiam (vt aiunt in agricultura periti) oritur ſecala: tu ſequere regulam Alani lib. 1. de Euchar. c. 11. quod, vbi dubitatur an panis ſit triticeus non eſt celebrandum; ſit confectus ex aqua roſacea, vel alteriùs diſtillationis, ex rub. miſſ. dubium eſt an conficiatur. Tu ſequere doctrinam D. Tho. 3. p. q. 74. art. 7. ad 3. negantis poſſe confici, & ex cap. Sic in ſacrificando, de quo ſup.

Circa materiam vini ſit generalis regula, quod extra ſpeciem vini non fit ſacramentum, & ideo in aceto non conficitur, quia iam mutata eſt ſpecies vini. Vide rubricam Miſſalis de defectibus, vbi ſatis apertè omnia explicantur tam de materia, quàm de forma ſeruanda in hoc ſacramento.

Sed ſi quæras, cur potius in pane triticeo, & vino vitis, quam in alia quauis materia venerabile hoc Euchariſtiæ ſacramentum Chriſtus inſtituere voluerit?

Reſpondemus multas eſſe rationes, quas ſingulas recenſere laborioſum eſſet, & tædio proximum, nos paucas afferemus, & præcipuè D. Thom. 3. p. q. 74 art. 3. in corp. Nempe quia pane triticeo communius vtuntur homines; nam alij panes videntur eſſe introducti in huius panis defectum, vt ergo homines commodè hoc ſacramento refici poſſent in materia omnium communiſſima inſtitutum eſt; vel etiam quia cibus, & potus, qui pane, & vino connotantur naturæ humanæ ſubſtentandæ, & conſeruandæ maximè neceſſarius eſt, & ideo Chriſtus hac eadem

dem

Digitized by Google

dem materia per conſecrationem ad ſacramentalem dignitatem euecta pro vita ſpirituali animæ noſtræ vſus eſt, & hinc fortaſſe moti præcipui, ac celeberrimi Theologi putauere Euchariſtiam in mortis articulo iure diuino (niſi rationabile adſit impedimentum) ſumendam eſſe, quàm ſententiam docuère Durand. in 3. diſt. 9 & art. 2. Gabriel. q. 1. Sot. in 4. diſt. 12. q. 6. art. 1. Petrus de Soto lect. 9. de Euch. Greg. de Valent. & alij quamplurimi; quinimmo vel ipſamet natura oſtendiſſe videtur neceſſitatē panis materialis vitæ corporali, vt etiam fateri cogeretur, panem hunc ſpiritualem, nempe corpus Chriſti neceſſarium eſſe, quod non incongruè experimento comprobare voluiſſe viſus eſt Pſamenitus Aegyptiorum Rex, de quo Herodotus lib. 2. (vt videre licet apud Pererium tom. 2. commentariorum in Geneſ. lib 15. cap. 10. verſ. 6. diſt. 2. ſub num. 288. peruulgatum eſt.) narrat, quod cum explorare vellet, quænam linguarum omnium antiquiſſima foret, & primo id experimenti adhibuit. Duos infantes loquelæ vſum nondum habentes cuidam paſtori educandos tradidit elingui, qui in abditiſſimo, & ab hominum conſortio remotiſſimo receſſu eos enutriens, triennio poſt fari incœpiſſe, & dictionem beccus (quæ eſt vox Phrygia, panem ſignificans) bis manibus porrectis clarè pronunciaſſe teſtatus eſt. Quo euentu ſatis, ſuperque comprobaſſe viſus eſt panem ex ipſiuſmet naturæ inſtinctu deſiderabilem eſſe, tanquam cibum omnibus neceſſarium, ac communem, & propterea Chriſtus ipſe, vt ab omnibus fidelibus ſub huius cibi, & potus ſpecie, & deſideraretur, & guſtaretur, panem, & vinum pro Euchariſtiæ ſacramento elegit, quod propter Incarnationis myſterium nondum completū ſe non habuiſſe, in ſpiritu prophetico plurimis lacrymis repletus, conqueſtus eſt Daniel cap. 12. dicens. Panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum: tum quia figuræ veteres ſub tritico datæ ſunt, vt eſt illa Deut. cap. 17. quando ſcilicet fiebat oblatio ſpontanea, quæ dicebatur Miſach, & fiebat in tritico, & etiam oblatio Melchiſedech, qui panem triticeum, & vinum vitis Deo obtulit in ſacrificium,

vt ha-

Digitized by Google

vt habetur Geneſ.cap.14. Similiter filijs Iſrael dicitur, & edent carnes, & azimos panes. Exodi cap.20. & aliæ quamplurimæ, de quibus veterum ſanctorum Patrum auctoritas,&Conc.Trid. definitio tradidit fuiſſe figuras huius ſacrificij; prout videre eſt apud Azorium inſtit.moral tom.1. lib.10. cap.18. rationabiliter igitur Chriſtus in pane triticeo, & vino vitis ſacramentum hoc inſtituit. Nec deſunt præterea figuræ, etiam in vino ſanguinem Chriſti adumbrantes, & præcipuè à Moyſe Deuter. c.72. ſub illis verbis exaratæ,& ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum & Eccleſiaſtici cap.50.ligauit de ſanguine vuæ. Quis vnquam ſanguinem ex vuis extrahi vidit, vel audiuit? quid hoc dicto clarius, atque mirabilius? & Gen. cap. pen. lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum; quid pulchrius? Viualdius, ſeu candelabrum aureum de ſacram.Euchar.num.6.

Quæritur,quare in hoc ſacramento non dicit ſacerdos, dum profert verba conſecrationis: Ego conſecro corpus Chriſti,&c. ſicut in alijs ſacramentis dicit; Ego te baptizo, ego te abſoluo, &c.

Reſpondeo, quod licet hæc ſit grauiſſima quæſtio inter doctores, quos pro vtraque parte adducit Sotus 4. diſt. 15. q. p. art. 15. reſolutiuè tamen tenendum eſt cum Innocentio III. & alijs, quos ibi citat, quod in alijs ſacramentis, & in hoc vſque ad verba conſecrationis, loquitur ſacerdos in perſona propria, tanquam Chriſti miniſter; ſed quando profert verba conſecrationis tam panis,quàm vini,accipit, & induit ſe perſona Chriſti, & in perſona illius dicit: Hoc eſt enim corpus meum, &c. gloſa in cap.Timorem, verb. corpus de conſecratione diſt. 2.S.Tho. 3.p.q.78.art.5.Viuald.de ſacram. Euchar. num.80. Itaque hoc eſt corpus meum, &c.Hic eſt calix ſanguinis mei, &c. proferuntur à ſacerdote hæc verba recitatiuè,vt à Chriſto dicta,quod eſt dicere, quod illa oratio: Hoc eſt corpus meum, accipitur materialiter. Ad quam ſuppoſitionem materialem reſtringuntur per participium (dicens)ſicut cum dico,Chriſtus loquebatur ad Petrum dicens: Tu es Petrus: accipitur materialiter; nam hoc

dicens,

Digitized by Google

dicens, non aliud dicere intendo, niſi quod Chriſtus dixit hanc orationem: Tu es Petrus, &c. Simili modo ſacerdos refert facta, & verba Chriſti; & dum dicit in hoc loco canonis. Hoc eſt corpus meum, dicere intendit, quod Chriſtus accipiens panem in ſuas manus dixit hanc orationem:Hoc eſt corpus meum, &c. vt bene aduertit M.Gabriel Biel in expoſ.can .miſſ.

De his; quæ Miſſæ addita ſunt ab initio naſcentis Eccleſiæ vſque ad præſens. Cap. XI.

MISSA in propria ſui inſtitutione conſtabat ſolummodo conſecratione, & oratione dominica, vt ſupra ex Diuo Gregorio probauimus c.3. ſucceſſu temporis augumenta recepit, & ab ipſis Apoſtolis, & à ſummis Pontificibus. Hac tempeſtate miſſa tunc incipit, quando ſacerdos ſignat ſe ſigno crucis,& alta voce pronunciat.In nomine Patris, &c. & meritò cum miſſa ſit repreſentatiua paſſionis Chriſti incipit à ſigno crucis, tanquam principali inſtrumento dictæ paſſionis, de hoc ſigno crucis manu dextera,& plena,hoc eſt quinque digitis extenſis faciendo, meminit S. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium cap.16. & Iuſtinus martyr ad Orthodox.reſp.ad quæſt.118.& Durand.lib.2.cap.16.

De Antiphona; Introibo ad altare Dei, &c.meminit ſanctus Ambroſius lib.4.de ſacramentis cap.2.

De pſalmo Iudica me Deus, &c. Micrologus meminit c.23. & ex decret.Cæleſtini Papæ dici,aſſerit Durand.lib.4 cap.7.& Platina in eius vita.

Confiteor Deo, &c. In Liturgia S. Iacobi initium habuit ex Azo. lib.10.cap.36.quæſt.1.Radulphus propoſitione 23. Damaſum Papam auctorem facit.Berno de off.miſſ.cap.25.Pontiano Papæ ttibuit, certum eſt à tempore D. Auguſtini, qui fuit contemporaneus cum Damaſo Papa confeſſionem hanc in vſu

fuiſſe

fuiſſe apud fideles, teſtatur ipſemet ſerm. 48. de tempore.

In Confiteor ad illa verba mea culpa, &c. percutitur pectus, hic ritus ab Apoſtolis ortum habet ex Nauar. de Horis can. c. 4. & 6. Auguſtin. vbi ſupra.

De inclinatione, quæ fit in Confiteor, meminit S. Cyprianus epiſt. 64.

De Miſereatur, & de Indulgentia, &c. meminit Micrologus cap. 23.

Oratio Aufer à nobis, &c. habetur in ordine Romano poſt litanias in benedictione Eccleſiæ; ſed Gauantus, quiſnam huc tranſtulerit, ignorari aſſerit.

Introitus, qui regulariter ex Pſalmis Dauid componitur à Cæleſtino primo Papa initium habuit; ſed alio modo, quam præſens; nam ipſe conſtituit, vt Pſalmi centum quinquaginta ante ſacrificium cantarentur Antiphonatim ex Dioniſ. de Eccleſia Hierarch. & Caſſiano lib. 3. de inſtit. Mon. cap. 11. Verum longitudine, & prolixitate affecti fideles, Antiphonas, hoc eſt aliquos verſiculos de pſalmis deſumebant, illoſq; ante ſacrificium pro toto pſalterio recitabant, vt videre eſt apud Rodulphum, prop. 23. etſi Baronius ad annum Chriſti 418. Cæleſtini decretum de toto Pſalterio cum Antiphonis ante miſſam cantando in Eccleſia tantummodo Romana, & non vbique ſeruatum explicet, cui etiam videtur aſſentire Bellarminus lib. 2. de miſſa cap. 17.

Verſiculus Gloria Patri, &c. ad finem pſalmi poſt introitum poſitus, Damaſo Papæ communiter tribuitur, quamquam ante Damaſum laus hæc compoſita feratur à Nicena Synodo; imo ex D. Baſilio eam fluxiſſe probat Baronius ad annũ Chriſti 325. & à Nicena Synodo additum dicit, verſiculum: Sicut erat in principio, &c. ex Conc. Vaſenſi, can. 7.

Kyrie eleyſon, &c. Græci primi introduxerunt, vt videre eſt in Liturgijs S. Iacobi, & S. Marci ex Durando lib. 2. cap. 13. à Græcis ad Romanos Silueſter Papa tranſtulit ex Rodulpho prop. 23. D. autem Gregorius lib. 7. epiſt. 73. vt nouies in miſſa dicere-

G tur,

tur, dicit ſe reſtituiſſe, non inſtituiſſe ritum; nam ante ipſum annis centum quinquaginta in tota Italia in vſu fuiſſe ex Concil. Vaſenſi can.3.ſcribit Bellarm.lib.2. de miſſa, cap.16. & ante ipſum annuiſſe videtur S.Auguſtinus apud omnes Chriſtianos in vſu fuiſſe in epiſt.178.contra Paſcentium.

Gloria in excelſis Deo,&c.cõpoſitus fuit hic hymnus ab ipſiſmet Angelis in Natiuitate Domini, & propterea Angelicus dicitur,vt videre eſt in ipſomet textu Euangelij apud D.Lucã c.2. & ſi ea, quæ apud D.Lucam non ſunt,ab alijs doctoribus addita fuiſſe colligatur ex Cõc.Toletano IV. can.12.& præcipuè à D. Hilario Pictauienſi Epiſcopo,vt docet D.Tho.in 4.ſent.in fin.8. diſt.vt autem in miſſa diceretur inſtituit,Teleſphorus I. Papa,ex Innoc.III. lib.2.cap.20. & ex epiſt.1.eiuſdem Teleſphori.

Dominus vobiſcum à Clemente Papa emanauit ex Gemma lib.1.cap.87.ſed Hugo Victor lib.2.cap. 11. Anacleto tribuit. Rodulphus loc.cit. vtrumque auctorem facit.

Et cum ſpiritu tuo deſumptum eſt in epiſt.1.Pauli ad Timot. vlt.vbi dicitur Dominus Ieſus Chriſtus cum ſpiritu tuo, &c.

Oremus habetur in liturgijs ſanctorum Petri, Iacobi, & Marci, & ſemper dicitur ante orationes publicas, ex D. Auguſtino, epiſt. 106. ad Vitalem.ab Euranio in vita S. Paulini appellatur indictio orationis;quia ipſa inuitantur alij ad orationem, quæ ſequitur.

Orationes D.Ambroſius compoſuit ex Gemma lib.1. c.87.à Gelaſio Papa auctæ ſunt, & limitatæ ex Sigeberto anno Domini 487.à S. Gregorio deinde, quibus additis, vel detractis in ordinem redactæ ſunt ex Vualaf.Strabo. de reb.eccleſ.cap. 22. & Micrologus cap.61.

Amen. De hoc ritu reſpondendi Amen meminit S. Auguſtinus epiſt. 178.& tract.41.in Io. quaſi affirmet populus verum eſſe regnare Deum in vnitate Spiritus ſancti, vt Innoc.III. lib.2. cap.26.

Epiſtolam legendam in miſſa ipſimet Apoſtoli inſtituere, vt habetur in liturgia S. Petri, & quando ab Honorio in Gemma

cap.88.

Digitized by Google

cap.88.dicitur Alexander Papa fuiſſe auctor,id intelligendum, eſt, quod primus decreto ritum ſtabiliuit.

Deo Gratias. In fine epiſtolæ à temporibus D. Auguſtini ad pſalmum 132. in vſu erat, & ſi ex eodem D. Auguſtino, epiſt. 163.colligatur, quod ſi epiſtola erat deſumpta ex D.Paulo,loco,Deo gratias dicebatur, Pax tecum.

Gradualia à S.Ambroſio compoſita,teſtatur Radulphus propoſ.23. Galeſium, & Gregorium Pontifices auctores facit Durandus lib.4.cap.19.& Azor.tom.1.lib.10. cap.34. dub.8. ſed iuſſu Cæleſtini Papæ primi poſt epiſtolam cantari cæpiſſe, affirmat Sigebertus anno Domini 426. & Rupertus lib. 2. diu. off. cap.21.Vide Io.Serranum de expoſ.miſſ.p.1 num.75.

Alleluia. S. Hieronymus iuſſu Damaſi Papæ de Hieroſolymitana Eccleſia ad Romanam transtulit; ſed S. Gregorius Papa inſtituit, vt cantaretur in miſſa, etiam extra tempus Paſchale, vt ex D. Auguſtino explicat Baronius ad annum Chriſti 384. quod autem dicendum ſit in miſſa poſt Graduale, ſeu poſt epiſtolam habetur in ordine Romano. Prohibetur dici à ſeptuageſima vſque ad Sabbatum ſanctum ex decreto Leonis IX.Papæ, vt habetur in cap. Hi duo, de conſec. diſt.1. & in Conc. Tolet. IV.can.10.

Tractus. Auctor tractuum fuit,vel Cæleſtinus, vt aſſerit Berno.de off.miſſ.c.25.vel Gelaſ.ex Rupert.lib.2.de diu. off. c.21. vel Teleſphorus ex Durand.lib.4.cap.21.

Sequentia. Nicolaum I. inſtituiſſe, vt poſt Graduale, & tractum ſequentia in nonnullis miſſis diceretur, vt vult Durand. lib.4.cap.22.num.2.& Stephanus Durandus lib. 2. de ritib. eccleſ.cap.22.num.2. aliquas proſas, ſeu ſequentias à S. Ambroſio, & à S. Auguſtino compoſitas in Eccleſia legi affirmat. Sequentiarum meminerunt ordo Romanus cap.1.ante medium, Alcuinus de diuinis off. cap. quid ſign. veſtim. Amalanus in Rat.lib.4.cap.22.num.2.& alij apud Serranum 1.par. num.75. etſi diuerſi ſint auctores compoſitores ſequentiarum, vt lib. 2. videbimus.

Digitized by Google

Euangelium ſucceſſores Apoſtolorum in miſſa legi curarunt, vt teſtantur Liturgiæ omnes, & Strabo, cap. 22. ſed Alexander Papa vſum decreto firmauit ex Radulpho propoſ. 23. & Gemma lib. 1. cap. 88. Dominus vobiſcum, & ſequentia ſancti Euangelij, &c. ex ordine Romano deſumpta ſunt. Gloria tibi Domine habet Chriſoſt. in liturgia, & Amalarius lib. 3. cap. 18. in fine Euangelij, varij ritus ſeruati ſunt ex Durand. lib. 4. cap. 24. Alij dicebant Amen, Alij Deo Gratias, Alij Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Nos dicimus, Laus tibi Chriſte, ex Burchardo, qui primus de his verbis mentionem facit, vt dicit Gauantus in Theſ. p. 1. tit. 10. & nos infra lib. 2.

Symbolum initio Eccleſiæ in miſſa cantabatur Symbolum Apoſtolorum ex Dionyſio Areopagita cap. 3. de eccleſ. Hierarch. & habetur in liturgia S. Petri: ſed S. Marcus Papa, qui S. Silueſtro ſucceſſit, poſt Euangelium Symbolum Nicenum recitari iuſſit ex Bernone cap. 25. de off. miſſ. ſeu potius Conſtantinopolitanum cum additione, Filioq; procedit, vt probat Baronius ex Rufino ad annum Chriſti 325. quæ additio facta fuit in Conc. Tolet. ſub Leone I. ex Baron. ad annum Chriſti 447. ſeu in Conc. Rom. à S. Damaſo, vt dicit Stephanus Durandus, lib. 2. cap. 24. Quod Symbolum idem Damaſus Papa dici decreuit, ex Ruperto lib. 2. cap. 21 & eſt idem, quod dicitur hodie. Romę non dicebatur: quia nunquam fuit hæreſeos fece infecta; ſed ad inſtantiam Henrici Imperatoris, Benedictus Papa VIII. Romæ hunc ritum inſtituit, teſte eodem Bernone, qui præſens aderat, cap. 2. de quibuſdam ad miſſam ſpectantibus; ſed Baronius ad annum Chriſti 1014. ſub Benedicto VIII. Symbolum Conſtantinopolitanum in Rom. Eccleſia dici cœptum tradit.

Dominus vobiſcum, & Oremus poſt Symbolum habetur in ordine Romano, vide Alcuinum de diu. off. cap. de celebr. miſſ.

Offertorium. Antonius Demochares tom. 4. c. 12. auctorem facit Cæleſtinum, Petrus ab Opmer. de off. miſſ. Euthichianum, Gemma animæ lib. 1. cap. 88. S. Gregorium. Alij Adrianum, vt refert

Digitized by Google

refert Pinellus. Dicitur Offertorium eo quod tunc pronunciatur, quando Deo offerimus incorruptum laudis ſacrificium, vel illud ei præparamus, vt inquiunt Rupertus lib. 2. de diu. offic. cap. 2. & Micrologus de eccleſ. obſeru. c. 10. vt refert Serranus 1. p. num. 106.

Deus, qui humanæ ſubſtantiæ. Offerimus tibi. In ſpiritu humilitatis, & Veni Sanctificator, has quatuor orationes probat Bellarm lib. 2. de miſſ. cap. 17. ante quingentos annos non fuiſſe lectas in Eccleſia Romana.

Pſalmus. Lauabo inter innocentes, &c. habetur in liturgia S. Petri græca, quam citat S. Germanus in Theo. rerum Eccleſiarum, & hæc cæremonia à principio naſcentis Eccleſiæ fuit in miſſa vſurpata, vt colligitur ex S. Dionyſio Areopagita lib. 8. conſt. Apoſt. capij ex S. Clem. Rom.

Orationem. Suſcipe ſancta Trinitas, habet Stephanus Emenſes cap. 11. & Micrologus cap. itidem 11. non ex alio ordine, ſed ex Eccleſiæ conſuetudine, vt inquit Gauantus p. 2. tit. 7. ſed vt probat Bellar. lib. 2. de miſſ. cap. 17. & Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 34. dub. 10. Oratio iſta eſt deſumpta ex ordine Gallicano.

Orate Fratres. Leo Papa inſtituit ex Radulpho propoſ. 23. ſub his nimirum verbis, quibus nunc fit, & ſi de eo etiam mentionem faciat Soter Papa, prout habetur in cap. Quoque de de conſec. diſt. 9. qui vixit 280. circiter ante Leonem Primum, ſed quoad ſubſtantiam, & ſenſum eſt traditio Apoſtolica, vt dixit Stephanus Durantus lib. 2. de rit. cap. 29 nu. 3. vt refert Serranus 1. p. num. 141.

Præfationes originem habent ab Eccleſiæ primordijs, ex clem. lib. 8. conſt. apoſt. lib. 16. & Vualfridus Strabo de reb. eccleſ. c. 22. fatetur ſe neſcire quiſnam primo ordinauit præfationem: ſed Alcuinus de diu. off. cap. de celeb. miſſ. Gelaſium Papam primum auctorem facit, & vulgò quoque creditur, ſed ſi de omnibus Præfationibus accipiatur, falſum credit Serranus, vbi ſupra p. 2. num. 6. & rationem reddit, quia huius præfationis mentio fit apud S. Cyprianum in orat. Domin. iuxta notam Pe-

tri

tri Chryſpetij in ſum.eccleſ.diſcipl.verb.præfatio,& Io.Stefanus Duran.lib.2.de rit.eccleſ.cap.30.num.1.

Præfatio igitur communis, vel ſaltem illius forma, qua hoc tempore vtitur Romana Eccleſia,deſumpta eſt à Gelaſio ex liturgia Apoſtolorum, aut ab illis originem habuit,vt Radulphus ex auctoritate Gemmæ de can. obſer. prop. 23. ſcriptum reliquit, vbi S. Dionyſium Areopagitam, & Leonem primum Papam auctores facit, vt Serranus vbi ſup. aſſerit,vel aliqua in pręfationibus mutauerunt,vt colligitur ex illis verbis Ruperti lib.2 de diu.off.cap.21.& Innocentij III.lib.2.de miſſ. cap.61. Gelaſius Papa ſacramentorum præfationes cauto quidem,& elimato ſermone dictauit, vel Pontifex iſte aliquas præfationes addidit, & fortaſſe nouem illas (vt ait Serranus vbi ſup.) de Natiuitate Domini, de Epiphania, de Quadrageſima,de Cruce, & Paſcha, de Aſcenſione, de Pentecoſte, de Trinitate, & de Apoſtolis,vt vult Gratianus cap.inuenimus de conſec. diſt.1.

Præfationem decimam, quæ eſt de B.Virgine,Vrbanus II.addidit in Conc. Placentiæ celebrato anno 195. ex Baronio, ſeu 180.ex Bellar.lib.2. de miſſ. cap.17. & habetur in cap. Sanctorum, §.fin.diſt.70.teſte Gratiano.

Surſum corda. Clemens Papa lib.8.conſt.apoſt.cap.16. ſurſum mentem legebat,& D.Aug. ad pſal. 148. ait, Leuemus cor ſurſum, ne putreſcat in terra.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Hymnus triſagius à Gauanto appellatur. Victorialis in liturgia S.Petri. Triumphalis à SS.Iacobo, & Marco in liturgijs. Cherubicus à S. Germano in Theoria.Primeuus ab Alcuino, auctor fuiſſe S. Xyſtus Papa; quia decreto ritũ firmauit,vt ſacerdote incipiẽte,populus proſequeretur; ſed antea erat in vſu in liturgijs pręd ct. vt meminit S. Clemẽs lo.cit.

Benedictus, qui venit, &c. S. Ignatius addidit, vt dicit Remigius Antiſiodorenſis in expoſ.miſſ. quo,vt notauit Durand. in Rat.lib.4. cap.34. num. 7. gratias agimus de beneficio Redemptionis.

O Sanna Bis repetitur ex ordine Romano,& vt dixit Gabriel ex

Digitized by Google

ex auctoritate Remigij, componitur à verbo Hoſi, quod eſt Salua, & à voce anna, quæ eſt aduerbium, vel interiectio precandi, vel componitur à verbo hoſſa ſecundum Nicolaū de Lyra in differētijs ſcript. Sacr. quod protegere ſignificat, & à nomine anna, quod idē eſt ac gratioſus, aut donās ſiue pius, vel miſericors.

Canon antiquiſſimus eſt, & à pluribus ex Domini verbis ex Apoſtolorum traditionibus, ex ſanctorum Pontificum inſtitutionibus, iuxta Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 4. fuit compoſitus; vnde vna pars antiquior eſt altera. Bellar. lib. 2. de miſſ. cap. 20. antiquiorem omni memoria illum nominat, & quia nulla ibidem fit mentio Confeſſorum, probat fuiſſe finitum totum ante Concilium Maguntiacum, quod anno Domini 813. celebratum eſt, in quo Concilio feſta Confeſſorum habentur, & ſi Innocentius III. lib. 3. cap. 10. ante Sylueſtrum, qui obijt anno 336. finitum aſſerat; attamen vltimus, qui Canoni addidit fuit S. Greg. I. qui anno 604. vel circa è vita deceſſit. Nonnulli Gelaſium primum auctorem faciunt, vt Innocentius loc. cit. & Gemma lib. 1. c. 90. Alij Muſæo Maſſilienſi tribuunt, ſed de ipſo dubitat Pamelius in liturgijs.

Non deſunt, qui honorem hunc deferant Victoriano Voconio Mauritaniæ Epiſcopo, ſed hoc incertum eſt. Canonem inchoauit S. Clemens ex Radulpho propoſ. 23.

Sub initio Canonis poſt deprecationem pro Eccleſia in vniuerſali rogatur Deus, vt regere dignetur Summum Pontificem, & Antiſtitem: nomen Pontificis expreſsè nominatur ex decreto Conc. Voſenſis cap. 4. alias 6. imo initium habuit à S. Clem. lib. 8. propoſ. apoſt. cap. 10. qui celebrans dicebat: Adhuc obſecramus te pro me, qui nihil ſum, quod etiam hodie obſeruat Summus Pontifex celebrando, dicens. Vna cum indigno famulo tuo, quem gregi tuo præeſſe voluiſti; qui quidem ritus à Chriſtomet deducitur, qui in Cœna, hoc eſt in inſtitutione huius Sacramenti pro Petro expreſsè, ne fides illis deficeret, orauit. Ita Tho. Vuald. tom. 3. lib. 4. cap. 37. num. 5.

Pro Antiſtite, ideſt Epiſcopo loci, in quo celebratur, vt ex-

Digitized by Google

preſsè monet rubrica; non autem pro Epiſcopo ipſius celebrantis, vt vult Alcuinus de celeb. miſſ. quem ſequitur Innocentius III. lib. 3. cap. 5. etiam ſi celebrans ſit omnino exemptus, vt ſunt Regulares, qui ex decreto Sacræ Congregationis Rituum ſub die 12. Nouembris 1615. non nomen ſui ſuperioris etiam Generalis exprimere debent; quæ deprecatio videtur deſumpta ex cap. 13. epiſt. ad Hebræos: Mementote præpoſitorum veſtrorum, & S. Auguſtinus pro Epiſcopo in miſſa orandum eſſe docuit in epiſt. 101. in fine. Quod ſi Epiſcopus ipſe celebret, etiam extra ſuam Diœceſim dicit: & me indigno ſeruo tuo. In loco autem nullius dioceſis nominatur Epiſcopus vicinior, ad quem pro ordinatione itur, vt inquit Gauantus in Theſ. p. 2. tit. 8. quæ verba omittuntur etiam Romæ, quia ibi nullus dicitur eſſe Antiſtes loci, niſi Summus Pontifex, pro quo iam ſuperius oratum eſt. Ex priuilegio Pij V. Hiſpani addunt nomen Regis, ſine papali priuilegio aliæ nationes addere non debent, ex Bulla Pij V. nihil omnino in miſſali addendum, prohibentis.

Communicantes. Huius partis auctor Siricius Papa creditur à Radulpho, vbi ſupra. Linus à Nicolao de Ploue in expoſitione miſſæ, ſed multorum Sanctorum commemoratio in Communicantes eſt apud Clementem lib. 8. conſt. apoſt. cap. 13. & Dionyſium de eccleſ. Hierar. cap. 3. illius vero ordinem à S. Hieronymo iuſſu Damaſi Papæ ortum habere conijcit Lindanus in liturgia S. Petri, cap. 22.

Hanc igitur oblationem. Alcuinus ad Gelaſium refert, Radulphus ad Leonem Magnum vſque ad ea verba, placatus accipias: Reliqua verò verba vſque ad Quam oblationem, excluſiuè addita fuere à Greg. papa. Ita Amalarius lib. 3. cap. 23. & communiter omnes, & hoc occaſione peſtis Romanam Vrbem vexantis, & bellorum omnia deuaſtantium, vt ait Lopez lib. 2. cap. 14. § p. quia ibi fit mentio de pace.

In memento. per litteras N. & N. rubrica explicat eos, pro quibus celebrans orare intendit, quos S. Auguſt. epiſt. 54. q. 5. ſuſceptos appellat, & ipſos labijs complexis incluſa pectoris cogita-

gita-

Digitized by Google

gitatione nominandos ait S. Hieronymus apud Durandum lib.2. de ritibus cap.34. Antiquitus recitabantur nomina offerentium in Miſſa ex Innocentio I. epiſt.p. Nos eorum, qui eleemoſynam pro miſſa dederunt, memoriam facimus; vel eorum, pro quibus ſine eleemoſyna celebramus, quod etiam ſeruãdum eſt in ſecundo Memento poſt conſecrationem pro defunctis.

Qui pridie, tribuitur Alexandro Papæ vſque ad verba conſecrationis à Vualafr. cap.22. & Micrologo cap.12. ſed eſt Apoſtolorum periodus ex Alcuino vſque ad illa verba: Inde, & memores, cum habeantur apud Clem. lib.8. cap.17. & in Liturgia S. Petri.

De Cruce immediatè ante verba conſecrationis Corporis meminit S. Aug. ſerm.19. de Sanctis; ſed aduerte incongruè aſſeri à Chriſto benedictioni panis in ipſamet conſecratione formatum fuiſſe ſignum Crucis, quia non dum Cruci deifica virtus data erat, prout aduertit Nicolaus de Ploue de expoſ. miſſ.

Verba conſecrationis tam Corporis, quam Sanguinis ab ipſomet Chriſto inſtituta, pronunciata, & ad conſecrandum deſtinata fuere; ſed in conſecratione Corporis illa dictio (enim) apponitur ſecundum conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ à B. Petro Apoſtolo deriuata, prout expreſſe docet D. Tho. 3. p. quæſt.78. art.2. ad 5. Vnde qui prætermitteret, conſecraret vtique; ſed grauiſſimè peccaret, ita Tolet. lib.2. cap.26. & alij communiter: quia illa dictio non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed de neceſſitate præcepti. Similiter in conſecratione ſanguinis de eſſentia Sacramenti ſunt ſolummodo illa verba: Hic eſt calix ſanguinis mei, & reliqua ſunt de neceſſitate præcepti, vt expreſſiſſimè idem Tolet. loc. cit. Sunt autem verba conſecrationis deſumpta litteraliter ex textu Euangelij, & Matthæi cap.26. & Marci cap.14. & Lucæ cap.22. Reliqua ad conſecrationis formam ſpectantia latius enucleabimus in lib.2. Debent autem conſecrationis verba à Sacerdote magna cum attentione, & reuerentia pronunciari.

In eleuatione tam corporis, quã sãguinis ab ipſiſmet Apoſto-

 lis;

Digitized by Google

lis inſtituta; conſideret Sacerdos maieſtatem illius, quem manibus tenet.

Vnde, & memores, &c. Alexander I. Papa inſtituit, ex Radulpho propoſ. 23. ſed hauſta ex liturgia græca S. Petri, & ex lib 8. conſtit. Apoſt. cap. 17. Verba tamen. Sed & in cælos glorioſæ Aſcenſionis, habentur in liturgia S. Baſilij. Hoſtia ab Apoſtolis, vt ab omnibus manifeſtius veneraretur myſterium; ordinata fuit, non ſinè ſancti Spiritus inſufflatione, qui per Dauidem Pſalm. 140. prophetauerat: Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum, & in Pſalm. 71. & erit firmamentum in terra in ſummis montium, vbi paraphraſis Caldæa legit, & erit placenta tritici in capitibus Sacerdotum, vt videre eſt apud Azorium loc. cit. & apud Titelemanum ſuper Pſalm. cit. 71.

Hoſtiam puram. Sunt verba D. Ambroſij lib. 4. de Sacramentis, cap. 6. Puram ideſt non carnalem, quales erant veteris legis. Odo Cameran. in expoſ miſſ. d. 3.

Supraque propitio. Leguntur hæc verba in liturgijs S. Petri, & S Baſilij, & reperiuntur etiam apud S. Ambroſium vbi ſupra & non eſt noua oratio, vt falſo contendunt hæretici. Sed ex Apoſtolica traditione in Eccleſia introducta eſt, vt probat S. Clemens Romanus in liturg. & lib. 8 conſt. Apoſt. cap. 12.

Sanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam: addidit S. Leo Magnus ex Innocentio, vbi ſupra cap. 4.

Supplices te rogamus, &c. cum inclinatione proferuntur hæc verba; de qua mentio eſt apud Micrologum cap. 16. ſed verba ſunt ex liturgia S. Pétri apud Clementem, & Ambroſium loc. cit. quibus in locis etiam reperiũtur verba, Iube hæc perferri, &c.

Commemoratio defunctorum, eſt ritus communis omnibus liturgijs ex præcepto Apoſtolorum, ita Chriſoſtomus hom. 3. in epiſt. ad Philip. & quam plures alij Doctores apud Durand. lib. 2. cap 43. & ſi Platina Xyſto I. tribuat, & Anſelmus Ryd. in catal. annotum Pelagio I. hoc intelligendum eſt, quod decreto firmauerint; ſed expreſſius habetur in cap. Viſum de conſecrat. diſt. p. ex Conc. Cabionenſ. ſecundo cap. 39. vbi, vt in omni-

Digitized by Google

omnibus Miſſarum ſolemnibus pro defunctis oratio fiat, præcipitur.

Nobis quoque peccatoribus, habentur hæc verba in liturgia citata S.Petri, in quarum prolatione, & vox eleuatur aliquantulum ex Amalario lib.3.cap.26.& Micrologo cap.17.& pectus percutitur, ex Innocentio III. lib.5.cap.22.

Sanctificas, viuificas, &c. deſumpta ſunt hæc verba ex S. Cypriano in ſerm. de Cœn. Domini, ſed de Crucibus hic adhibitis meminit Micrologus cap. 7.

Per ipſum, cum ipſo, &c. ſunt verba S. Ambroſij lib. de Sacram.cap.5.& liturgiæ Græcæ S.Petri, in qua etiam mentio fit, quod cum ijſdem verbis pane, hoc eſt hoſtia conſecrata ſignatur Calix, de eius eleuatione poſt hanc ſignationem meminit Micrologus cap.27. qui ritus ſeruatus fuit ab antiquioribus in prolatione verborum ſequentium; Per omnia ſæcula ſæculorum, vſque ad tempora Durandi; hac vero tempeſtate dicta eleuatio fit in prolatione illorum verborum. Omnis honor, & gloria.

Oremus præceptis ſalutaribus,&c. verba hæc veluti præfatio quædam orationis Dominicæ apponuntur, & vetuſtior eſt, quam plerique arbitrentur, Radulphus, vbi ſupra S. Gregorio adſcribit; ſed Durandus lib.2.cap.47. rationabilius tribuenda putat S.Cypriano in tract. de Orat. Dom.

Pater noſter, &c. Oratio hæc Dominica ab ipſomet Chriſto exarata fuit apud Matthæum cap.6. & non fuit à Chriſto pronunciata in inſtitutione miſſæ; ſed ab ipſiſmet Apoſtolis fuit vſurpata, vt teſtis eſt D.Hieronymus lib.3.aduerſus Pelagium,& alias diximus ſupra cap.3. vbi etiam aduerte, quod antiquitus apud Græcos Oratio Dominica in miſſa dicebatur à populo, vt videre eſt in liturgia græca S.Petri,& apud D.Gregorium lib.7. epiſt.63.ſed ipſe S.Gregorius (cui Rupertus lib. 2. cap. 15. adſcribit, vt ordinauerit huius orationis recitationem in miſſa) decreto ſanciuit, vt à ſolo ſacerdote diceretur ante Sacramenti ſumptionem, vt aduertit Gauantus in Theſ.p.2.tit.10.quoniam

Digitized by Google

ante ipſum poſt Canonem recitabatur, vt teſtantur S. Ambroſius lib. 5. de Sacramentis cap. 4. & S. Aug. in ſerm. in Vig. Paſc.

Sed libera nos à malo, à clero clara voce reſponderi ſolitum aſſerit Durandus lib. 1. cap. 49 & à Sacerdote ſecreto ſubdi Amen.

Libera nos quæſumus Domine, &c. hæc verba ſunt vtique vt ordine Romano, ſed Radulphus loc. cic. & Gemma lib. 1. cap. 90. à S. Greg. I. Papa addita fuiſſe, teſtantur.

In pronunciatione illorum verborum: Da propitius pacē, &c. nonnulli ſignabant ſolummodo faciem cum patena, vt videre eſt apud Innocentium III. lib. 6. cap. 1. alij ſignabant ſe, ait Durandus c. 50. ſed ſacra Cōgregatio Rituum, die 13. Martij 1627. declarauit hanc ſignationem faciendam eſſe à fronte ad pectus ſigno Crucis integro.

Pax Domini; &c. hæc pacis annunciatio indicatur à Dionyſio cap. 6. de Eccl. Hierarchia, & à S. Clemente lib. 8. conſtit. Apoſt. cap. 18 cui omnis populus reſpondebat: Et cum Spiritu tuo. Hugo Victorinus de Off. Eccl. lib. 2. cap. 11. S. Ambroſio; Gemma lib. 1. cap. 90. Innocentio I. hunc ritum tribuunt; & quamuis Berner. de Off. miſſ. cap. 25. decreto S. Sergij Papæ II. id factū eſſe cenſeat; alij tamen numero plures Innocentio ſupradicto adſcribunt: quia D. Paulus ad Romanos cap. 16. & prima Corinthiorum cap. 16. inquit: Salutate vos inuicem in oſculo ſancto. Reliqua de hoc ritu reperies infra lib. 2.

Hæc commixtio, &c. meminit de hoc ritu ordo Rom. & Micrologus cap. 18. & cap. 13.

Agnus Dei, &c. antiquitus in liturgia S. Petri ſemel dicebantur hęc verba, quia tamen cōmuniter omnes aſſerunt Sergium I. Papam inſtituiſſe hunc ritum, hoc debet intelligi, vt Gauantus aduertit, quod decreto ſtatuerit, vt ſicut in liturgia S. Petri ſemel dicebatur, ita in tota Eccleſia deinde ter diceretur, vel vt à Populo, & Clero cantaretur, vt notauit Baronius tom. 8. ad annum Chriſti 701. In fine dicebatur ter Miſerere nobis; vt etiam hodie ad antiquitatem retinendam, ſeruatur in Sacroſan-

Digitized by Google

ćta Eccleſia Lateranenſi Romæ; poſtea verò bellis irrumpentibus, & perſecutionibus ingruentibus, ſeu ſchiſmatibus vexantibus, vt in tertio Agnus Dei diceretur, Dona nobis pacem; iuſſum eſt; Quod nonnulli Innocentio III. Papæ adſcribunt, ſed Angelus Rocca Auguſtinianus lib. 1. de campanis, cap. 18. Ioannem XXII. auctorem facit. In miſſ. defunct. loco, Dona nobis pacem, dicitur, Dona eis requiem. Ex Hugone Vict. de ſpecul. miſſ. lib. 3. cap. 77. quaſi magis defunctorum, quàm noſtri memores eſſe debeamus, vt inquit Alenſis.

Dices quare nō nominatur S. Matthias ante conſecrationem?

Reſpondet Bellarm. lib. 2. de miſſ. cap. 26. non nominari, eò quod non fuit Apoſtolus ante Chriſti paſſionem; ſi autem fit mentio S. Pauli ante conſecrationem, id fit præcisè propter priuilegium; quod habet, vt nunquam à S. Petro diſiungatur.

Quæritur primò, cur in miſſis defunctorum non dicitur, Dona nobis pacem; ſed Dona eis requiem?

Reſpondet Iacobus Bayus lib. 3. de Euchar. cap. 4. quia defuncti immobili decreto ſuorum operum finem, & terminum ſunt adepti, quare pro illis celebratur miſſa, vt eis à pœnis indulgeatur quies, vt Alexander Alenſis 4. par. de miſſ. a. 2.

Quæritur ſecundò, vtrum miſſa celebrata in altari priuilegiato pro Franciſco defuncto, ſequatur, vt eius anima exiſtens in Purgatorio liberetur.

Reſpondetur, cùm Papa non habeat iudiciariam auctoritatem, nec iuriſdictionem directam in defunctos; ideò quoties concedit indulgentiam pro illis, toties addit per modum ſuffragij, quaſi diceret, ſe non directè abſoluendo, ſed indirectè pro eis ſoluendo eos iuuare, vt Silueſter verbo Indulg. num. 19. & propterea indulgentiarum ſatisfactiones aliquibus à Papa applicatas, poſſe quidem (Deo ſic acceptante) non tamen ſemper lege certà prodeſſe; ſed defunctis proſunt, & per viam conſolationis, & ſatisfactionis, vt S. Thom. 3. p. q. 71. a. 12. primo modo conſiderato proſunt omnibus, qui ſunt in Purgatorio; & fortè magis alteri, quàm illi, pro quo fiunt; ſicut enim in aula regis lucerna,

quæ

Digitized by Google

quæ ipſi ſoli accenditur, omnibus circumſtantibus lucet; immò illi magis,qui perſpicacioris eſt viſus; ita ſuffragia pro Franciſco facta, quatenus conſolatoria ſunt, proſunt omnibus in Purgatorio exiſtentibus, & illis magis, qui maiori ſunt charitate inſigniti; quoad ſatisfactionem verò proſunt ſecundum intentionem, & affectum applicantium,& ſtatum eorum, quibus applicantur, vt Franciſcus Leo in Theſ.for.eccleſ. p. 1. num.3.

Quæritur tertiò, an defuncti poſſint ſuis orationibus nobis prodeſſe?

Reſpondetur affirmatiuè; nam Onias, & Ieremias, iamdudum defuncti, viſi ſunt orare pro populo iudaico viuente, vt legitur in lib. 2.Machab.cap.15.

Domine Ieſu Chriſte, qui dixiſti,&c.apud antiquos non reperitur hæc oratio, ſed ipſam indicat Durandus cap. 53. habetur tamen in miſſali manuſcripto Vaticano ſatis peruetuſto,volumine 4743.cum duabus ſequentibus.

Domine Ieſu Chriſte fili Dei viui, &c. ex religioſorum traditione dicitur hæc oratio introducta,vt teſtatur Micrologus de Eccleſ.obſ.cap.18.& omnia ex Apoſtolica traditione, & non ex præcepto,aut decreto Leonis I. Innocentij II. & Sergij Pontif. vt quidam fluxiſſe volunt, probat Stephanus Durantus ex Dionyſio Areopagita,cap.3.de Eccleſia Hierarch. Clem. Rom. Conc.I.Nicæno apud Alphonſum Piſ.lib.3.cap.de diu.ment.& alijs, quos citat Serranus Epiſcopus Aarnenſis in expoſ. miſſ. 3. p.num.30.

Perceptio Corporis tui,&c.Qui hanc orationem fecerit, ſe non inueniſſe dicit Gauantus: ſed eam legiſſe in miſſali ſupradicto, & poſt Micrologum vbi ſup. dicit Bellarm. lib. 2. de miſſ. cap. 27. non fuere huiuſmodi orationes ab ordine antiquo Romano præſcriptæ, ſed à deuotione religioſorum introductæ.

Panem cæleſtem accipiam,&c.Habet Durand.cap.54. & eſt deſumptum à pſalmo 115. vbi Parap. Chal. ſic habet, Calicem Redemptionis accipiam mundo venturo, hoc eſt in ſæculo futuro accipiam calicem ſalutis.

Domi-

Digitized by Google

Domine non ſum dignus,&c. Ab omnibus, qui ſacram communionem ſumebant, ne dum ab ipſo celebrante, etiam ante ipſum Origenem hæc verba dicebantur, prout ipſemet teſtatum reliquit homil. 5. in diuerſis, & eſt deſumptum Matth. cap. 8.

Corpus Domini noſtri, &c. habetur in lib. 8. conſt. Apoſt. S. Clementis cap. 13. & in lib. ſacrament. S. Gregorij.

Quod ore ſumpſimus Domine, &c. habet ordo Romanus, & Micrologus c. 19. Sacerdos tenetur ſumere, ſeu conſumere hoſtiam conſecratam, ex can. 8. Apoſt. & lib. 8. conſt. Apoſt. S. Clementis cap. 20. & ratio eſt, quia eſt ſacrificium, quod omnino debet perfici, ex D. Thom. 3. p. q. 82. art. 4. & tenetur præcisè ſumere hoc loco ex Conc. Tolet. XII. cap. 5. & habetur etiam in cap. Relatum de conſecrat. diſt. 2. quanta autem ſit neceſſitas perficiendi ſacrificium, diximus ſup. cap. 8. dum de ieiunio ſacerdotis loquebamur.

Purificatio prima debet fieri cum vino, etiamſi ſacerdos ſit abſtenius ex Innocentio III. de celebr. miſſ. cap. Ex parte, & decet, vt vinum infuſum pro purificatione ſit eiuſdem quantitatis, cuius fuerunt ſpecies ſanguinis, aut ad minus ſacerdos calicem circumagat, vt per appoſitum vinum ſpecies aſſumantur, vt aduertit, & monuit Pius V. in epiſt. ad Archiepiſcopum Taraconen. data die 8. Ianuarij 1571. relata à Vincentio Soriano p. p. Purificatio verò ſecunda poteſt fieri cum vino, & aqua, vel etiam cum aqua tantum, nempe ſi ſacerdos ſit abſtenius, vel ex voto à vino abſtinere debeat.

Corpus tuum Domine, &c. meminit Durand. lib. 6. cap. 77.

Communio, ideſt antiphona ante vltimas orationes ordinata fuit à S. Gregorio I. ex Gemma lib. 1. cap. 90. & Hugo Victor. de Eccl. off. lib. 2. cap. 11. vt Gauantus p. 2. tit. 15.

De orationibus poſt dictam Antiphonam, quę dicuntur Poſtcommun. à loco, in quo recitantur meminit Micrologus c. 19.

Ite miſſa eſt. A Leone I. Papa inſtitutum fuiſſe dicit Radulphus propoſ. vlt. quod tamen habetur in liturgia S. Petri, & ex-

preſſ.

Digitized by Google

preſſ. in conſt. apoſt. Clementis lib. 8. cap. 23. qui celebrando vtebatur his verbis: Ite in pace.

Benedicamus Domino.&c. Quotieſcunq; in miſſa non eſt dictus Hymnus Angelicus, ſcilicet, Gloria in excelſis, dicitur, Benedicamus Domino ex Microlog. cap. 19. 46.

Deo gratias; hoc loco vſurpari innuit Dionyſius de Eccleſ. hyerarch. cap. 3. & Diuus Auguſt. epiſt. 59. ad Paulinum ſub his verbis. Participato tanto ſacramento gratiarum actio cuncta concludit, quæ verba Amalarius lib. 1. cap. 34. de hoc ritu declarat.

In miſſis defunctorum dicitur, Requieſcant in pace, in numero plurali, etiam ſi pro vno tantum miſſa dicatur ex Stephano Eduenſi de ſacramento altaris cap. 18.

Placeat tibi ſancta Trinitas, &c. hanc orationem habet Micrologus cap. 22. ſed ipſe eiuſdem meminit poſt datam benedictionem; Nos antè eam dicimus, & eſt antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudo, vel potius Apoſtolica traditio probata à Durando lib. 2. de rit. Eccl. cap 5. num. 1. & 2. & ex S. Aug. epiſt. 59. ad Paulinum, & ex alijs, quos citat Serranus 3. par. num. 79.

Benedicat vos omnipotens Deus, &c. de hac benedictione, hoc loco à ſacerdote danda, mentio eſt in Liturgia S. Petri, & in lib. 8. conſt. Apoſt. Clemen. cap. 23. & communiter D. Hieronymus auctor æſtimatur huius ritus, quia de ipſo expreſſe ſcribit in epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, & Micrologus c. 21. eius verba de hac benedictione explicat cauſam habens, addens, vt qui non communicatus diſcedit, ſaltem benedictus à ſacerdote recedat. Ante huius benedictionis ſuſceptionem, non licet à miſſa diſcedere, vt conſulit S. Cæſarius, niſi manifeſta vrgeat neceſſitas iuxta decreta Conc. Agathenſ. & Arelatenſ. 2. can. 47 & aliorum patrum, apud Serranum, vbi ſup.

In principio, &c. antiquitus benedicto populo aliquid legebatur, quod plenitudinem legis, & prophetarum iuxta liturgiam connotaret, & Euangelium S. Ioannis apud quoſdam erat n vſu ex Durando lib. 4. cap. 24. & ex cap. quidam de celebr.

miſſæ

Digitized by Google

miſſæ in Conc. Seligenſtradiano tit. de ſuffrag. cap. 22. vt autem omnes eo vterentur, annuit Buccardus, vt videre eſt apud Gauantum p. p. tit. 3. in iſto enim Euangelio præcipua noſtræ fidei myſteria Trinitatis videlicet, & Incarnationis continentur.

Peracto miſſæ ſacrificio pro gratiarum actione iuxta decretum Conc. Tolet. conſ. 4. can. 13. Sacerdos dicit hymnum: Trium puerorum vnà cum alijs orationibus, vt notauit Micrologus vbi ſupra.

Reliqua omnia, quæ in miſſa dicuntur, ſeu ceremoniæ, quæ modo iuxta rubricas miſſalis fiunt, & ſeruantur ab Eccleſia introducta à Pio V. in ſua Bulla reformationis miſſalis auctoritate communita ſunt. Et quidem cæremoniæ ab Eccleſia probatæ nihil aliud ſunt, quàm ritus quidam externi, religioſè, ac decenter inſtituti: primum vt ſigna, teſtimonia, & exercitia ſint cultus interioris, quem Deus in primis requirit, ſecundo, vt extent viua religionis incitamenta, quibus fragilitas humana ceu adminiculis fulciatur ad myſteria capeſſenda, & retinenda, tertio denique vt quæ ad cultum diuinum promouendum honeſtè, ac decenti quodam ordine in Eccleſia peragantur, vt optimè Petrus Caniſius in ſum. doct. Chriſt. cap. 4. de Sacramentis.

* * *

Digitized by Google

DE IPSA CELEBRATIONE Miſſæ.

LIBER SECVNDVS.

HACTENVS de miſſæ ſacrificio in generali, & de his, quæ celebrationem ipſam præcedere debent, hoc eſt de loco, & tempore celebrandæ miſſæ, de veſtibus ſacris, & de ipſius ſacerdotis celebraturi præparatione, necnon de his, quæ miſſæ ritus inſtituère, addidere, vel ſaltem de ipſis mentionem habuere pro antiquitate eorundem probanda enucleauimus. Nunc de ipſamet celebratione, necnon eorundem ſacrorum rituum myſterijs, & ſignificationibus aliquid in medium afferamus, vt Lector, nec dum ea, quæ in miſſa fiunt, ſed cur, & ad quid fiant non ignoret, ad quæ facilè cognoſcenda omnium, quæ in ipſa adhibentur, ſiue veſtes, ſiue vaſa ſint, myſteria, & ſignificationes, ex probatis auctoribus, quam breuiſſimè fieri poterit, præmittere, ac declarare operæpretium duximus.

Digitized by Google

De omnium, quæ in miſſæ ſacrificio adhibentur, & primo de ſacrarum veſtium ſignificatione. Cap. I.

EX his, quæ in miſſæ ſacrificio adhibentur, alia reſpiciunt ſacerdotem, alia calicem, & alia ipſum altare. Quæ ſacerdotem reſpiciunt ſex ſunt, ſcilicet, amictus, alba, cingulum, manipulus, ſtola, & caſula, ſiue planeta, quibus adde birretum, ſi celebrans ſit ſacerdos ſæcularis. Quæ reſpiciunt calicem octo ſunt, nimirum calix ipſe, patena, purificatorium, corporale, palla, hoſtia, velum, & burſa. Quæ reſpiciunt altare, ſeu prope, vel ſupra ipſum eſſe debent, ſunt duodecim, ſcilicet ipſummet altare conſecratum, ſeu altare portatile, quod paruam aram vocant, tobaleæ, ſeu mappæ, pallium, crux, candelabra cum candelis, vinum, & aqua, manutergium, cereus, & campanula, his adde miniſtrum, qui deſeruiat.

De pontificalibus ornamentis peragere, non eſt mentis noſtræ, quæ eo reſpicit, vt ſimplices ſacerdotes, ad quos minimè illa expectant, inſtruamus de his, quibus vti debent, & ſi quis eorundem myſteria cognoſcere cupiat, legat Bartholomæum Gauantum in ſuo Theſ.ſac.rit.p.2.tit.1.qui de his doctè, & diffusè agit.

Ipſorummet rituum, & cæremoniarum myſteria inferius ſuis locis recenſebimus.

Amictus igitur ſignificat velamen, quod Iudæi in dono Caiphæ ante oculos Chriſto poſuerunt illi illudentes, & alapis percutientes, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt, qui te percuſſit? vt Luc.23. Ita Tolet.lib.2.cap.2. & Gabr. Biel. in expoſit.can.lect.2. ait amictum poſſe etiam ſignificare coronam ſpineam cum caput velaret, non faciem, ex D.Thom.3.p.q.83.

 art.5.

art. 5.vel denotare poteſt fiduciam, & ſpem, quam ſacerdos in Chriſto habere debet, ita Innocentius III. lib. 1. de myſterijs miſſæ apud Pinellum in tract.miſſæ p.1.cap.14. vel denotat defenſionem, quam à Deo ſacerdos expectat ad expugnandos dæmonis incurſus, iuxta orationem, qua ſe induendo vtitur, dum dicit: Impone Domine capiti meo, &c.

Miſticè verò amictus humanam ſignificat naturam; qua tecta eſt diuinitas, quæ eſt caput Chriſti iuxta illud Apoſtoli, 1. Cor. cap. 11. Omnis viri caput Chriſtus eſt, caput autem mulieris vir, caput verò Chriſti Deus.

Ab amictu duæ cordulæ deſcendunt in pectus per modum crucis, quæ ſecundum Tolet. loc. cit. intentionem in Deo ponendam deſignant.

Alba ſignificat veſtem illam albam, qua ab Herode veſtitus, illuſus fuit Chriſtus, vt apud Lucam cap. 23. ita Tolet. vbi ſupra, vel ſignificat ſacerdotis perſeuerantiam vſque in finem, eò quòd ipſum à capite vſque ad pedes totum operiat, ita Alucinus lib. 1. de diu.off.cap.18.apud Pinellum loc.cit.vel ſignificat munditiem cordis & caſtitatis; hinc Sapiens Eccle. cap 9. Omni tempore veſtimenta tua ſint candida. Gloſſa, ideſt corpus caſtum, quæ caſtitas ad æterna gaudia ſacerdotem ducit,& ideo dum alba ſe induit, dicit: Dealba me Domine, &c.

Cingulum ſignificat primum ligamen, quo Iudæi in horto Chriſtum comprehendentes,ligarunt, & quia ſupra lumbos ponitur, ſignificat virginitatem & Chriſti caſtitatem, de qua prophetauit Iſaias cap.5.quando inquit. Non dormitabit, neque ſoluetur cingulum renum eius, quæ caſtitas cum omni opere ſacerdotis coniuncta eſſe debet, ita Tolet.vbi ſup.& ideo ſacerdos cingulo ſe præcingens, dicat. Præcinge me Domine, &c. ſignificat etiam cingulum flagellum, quo Pilatus Chriſtum flagellandum præcepit, vt Durand.lib 3.diu.off.cap.4. vel denotat prudentiam ſacerdotis, eò quòd ad albam religandam eò vtitur, ne incompoſitè diffluat, ſeu greſſui impedimento ſit: ita Alcu.vbi ſupra penes Pinellum. Denotat etiam Chriſti iuſtitiam, & fidem

& fidem, vt apud Iſaiam cap. 11. & erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.

Miſticè ſignificat cingulum immenſæ charitatis vinculum, quo Chriſtus, vt nos redimeret, noſtram ſibi naturam copulauit, vt prædixerat Hieremias cap. 31. Charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te, miſerans tui. Ita Gabriel vbi ſupra.

Cingulum habet duplex cinctorium dependens, ad denotandum, quod caſtitas maximè in ieiunio, & oratione conſeruatur, & acquiritur; ita Tolet. loc cit. ſine ieiunio, & oratione homo caſtus eſſe non poteſt, & ideo dixit Dominus, Marc. cap. 9. Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, niſi in oratione, & ieiunio.

Manipulus ſignificat ſecundum ligamen, quo Dei filius ad columnam ligatus eſt, & quia in ſiniſtro bracchio apponitur, ad cuius partem cor vergit, ſignificat magnum illud amoris vinculum ad paſſionem, quo deſiderio anguſtiatus eſt ad noſtræ redemptionis opus perficiendum.

Miſticè manipulus geſtatus in læua, ſignificat præmium, quod Chriſtus Dominus in hac vita per læuam ſignificatum, meruit, & ſibi, & nobis; ſibi gloriam, & exaltationem ſui nominis, & nobis vitam; quod autem per manipulum præmium deſignetur, apertè dixit Dauid in pſal. 125. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. habituri fidem iuſtitiæ ſuæ, in qua ſeminauerunt vitam æternam, quam pretioſo ſuo ſanguine Chriſtus Dominus acquiſiuit, vt Titlmac. ſupra Pſal. cit.

Manipulus originem ſuam non traxit ab Aaron, ſed à ſanctis Patribus, præcipuis eremi cultoribus, vt legitur de S. Arſenio in Martyrologio Bedæ 14. Kal. Auguſti, qui Theodoſij tempore in ſolitudinem ſecedens, lacrymarum imbrem perfundebat, & ideò non adhibetur manipulus cum pluuiali; quia ille fletum, & dolorem ſignificat, pluuiale verò conuerſationem cæleſtem, & ex Durando glorioſam corporum immortalitatem, quæ fletum non admittit, vt Gauant. p. 1. tit. 19. litera L.

Stola

Digitized by Google

Stola vltimum denotat ligamen, quo Chriſtus cruci affigendus ad Caluariæ locum ductus eſt; vel dominicæ legis iugum deſignat, quod ſacerdos ferre debet; hac enim de cauſa ſuper collum, & ſuper vtrumque humerum collocatur, vt Tolet. vbi ſupra, vel annuit immortalitatem, quam peccando perdidimus, & ad quam per legis obſeruantiam redire ſperamus, iuxta orationem: Da mihi Domine ſtolam immortalitatis; Stola apud Græcos omne veſtimentorum genus ſignificat, & dicitur ἀπὸ τοῦ στέλλεσθαι. ideſt à veſtiendo, apud Latinos verò denotat tantum veſtem mulierum honeſtarum, quæ erat veſtis talaris.

Stola vocatur etiam orarium, cum ſit conceſſa Oratoribus, ideſt Prædicatoribus, vt Raban. Maurus lib. 1. de inſtit. cler. cap. 19.

Miſticè ſtola, quæ ponitur ſuper amictum, & ſacerdotis collo incumbit, & pectus in modum crucis cingit, obedientiam denotat, qua Dei filius factus eſt Patri obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, vt Apoſt. ad Philip. cap. 21. Ita Rupertus lib. 1. de diu. off. cap. 2.

Extenditur ſtola ante vſque genua, quæ flectuntur, ad exhortandum ſacerdotem ad manſuetudinem, & humilitatem, vt veritatis magiſter docet, dicens. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Ita Amalarius Fortunatus lib. 1. de Eccl. off. cap. 20. ſignificat etiam patientiam, quæ nobis neceſſaria eſt, vt reportemus promiſſiones, vt Paulus ad Hebræos cap. 10.

Stola tandem ante pectus in modum crucis ſignificat Chriſti paſſionem, quam ſacerdos vigilanti meditatione in corde imprimere debet; ita S. Bonauent. in expoſ. myſter. ſacr. miſſ. vbi etiam docet, eandem crucem ante pectus ſignificare populum hebræum in partem ſiniſtram tranſiſſe, & gentilem in dexteram, ideſt in Chriſtum per fidem, quod optimè nobis declaratur in Gen. cap. 48. quando Iacob benedicens Ephraim, & Manaſſem, poſuit Ephraim ad dexteram ſuam; Manaſſem verò in ſiniſtra ſua, ad dexteram ſcilicet Patris, & illum ad ſiniſtram Iſrael, de quo facto ſcribit Pererius ſupra d cap. 48. cit. p. 2. diſp. 1. Commuta-

Digitized by Google

mutatio manuum Iacob ſuper Ephraim, & Manaſſe fuit inſtinctu Spiritus ſancti, anteponere volens Ephraim maiori fratri ſuo Manaſſe, extendensque ſuper illos manus ſuas, ita eas commutauit, atque conformauit, vt figuraret ſignum, & imaginem ſanctæ Crucis, ea re præſignificans myſterium Crucis Chriſti, per quod gentilitas præpoſita eſt iudaiſmo; illa namque humilitatem Crucis deuota fide eſt amplexata, hic verò grauiſſimum ſcandalum impiè auerſatus eſt.

Caſula, ſiue planeta, repræſentat tunicam inconſutilem Chriſti, ita Tolet. vbi ſupra, vel ſignificat veſtimentum purpureum, quo indutus eſt Chriſtus, illuſus in prætorio Pilati, & poſt flagellationem percuſſus, fuit iudæis oſtenſus; ita Gabriel Biel ſupra canonem à Toleto cit. & S. Germanus in Theorica apud Gauantum, vel ſignificare poteſt obedientiam in obſeruanda lege ad conſequendam Chriſti gratiam, iuxta orationem, quam ſacerdos, dum caſula ſe induit, dicit: Domine, qui dixiſti iugum meum, &c. ſignificat etiam caſula Eccleſiam, qua ſe Chriſtus induit, & pars anterior denotat Eccleſiam veteris teſtamenti, antequam homo factus, & crucifixus; pars verò poſterior noui teſtamenti, & populorum qui poſt eius crucifixionem ad fidem venerunt, denotat, ſicut enim caſula cum duabus partibus eſt vna veſtis, non duæ; ita fidelis populus, qui fuit ante Chriſti aduentum, & ille, qui fuit poſtea, non duas, ſed vnam Eccleſiam conſtituunt, iuxta illud canticorum cap. 6. Vna eſt columba mea, perfecta mea: vna eſt Matri ſuæ electa genitrici ſuæ. Sacerdos igitur induens ſe caſula duas habente partes, brachijs illam ſuo corpori vnit, & facit, vt vna ſit veſtis; ita Chriſtus amplectens duos populos, iudaicum videlicet, & gentilem ſimul vniuit, & fecit vnam Eccleſiam, vnam ſponſam, & vnum ouile: Quare ait Apoſt. ad Epheſios, cap. 2. Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo; & hoc eſt, quod dicebat ipſemet Chriſtus apud Io. cap. 10. Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meã audient, & fiet vnũ ouile, & vnus paſtor.

Miſti-

Miſticè caſula, ſiue planeta ſignificat Chriſti Domini plenitudinem, qua non ſolum ipſe, ſed Chriſti fideles omnes illius membra adornantur, accipiendo de eius plenitudine, quemadmodum inquit Ioannes cap. 1. Gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratia, & veritate.

De Birreto nullum vidimus auctorem pertractantem, quia tamen, & ipſum myſterio non carere credendum eſt; propterea nos has ſignificationes illi congruere arbitramur: habet quatuor angulos, quorum tres in parte ſuperiori patent, & vnus latet inferius; patentes ſignificant opera bona, quæ ſacerdos in ſæculo exiſtens, ad aliorum ædificationem præſeferre debet, ſecundum illud Matthæi cap. 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Angulus verò latens ſignificat bonitatem internam, & non fucatam, quam in propria domo ſeruare debet; vel etiam, quia tres illi apices, ſeu anguli patentes ſignificant tria ſacerdotis opera, ſiue bona, ſiue mala, nempe cordis, oris, & operis. quartus verò angulus, qui nunquam explicatur, ſignificat retributionem, ſeu compenſationem, quæ tam magna eſt, vt nos meritò lateat tanquam inexplicabilis; inquit enim venerabilis Beda ſerm. 18. de Sanctis. Conſideremus ergo inclytam Vrbis illius felicitatem, in quantum conſiderare poſſibile eſt, vt enim verè eſt, comprehendere nullus ſermo ſufficit. Rectè etiam tres anguli eminentes ſignificant crucem figura antiquitus vſitata, & milites Chriſti, tanquam eo charactere deſignatos.

Regularis ſacerdos loco birreti amictu vtitur, qui totum caput operiens, ſignificat ipſum in clauſtro ſemper recluſum debere eſſe, ibique Deo inſeruire, ac cæleſtia ſemper meditare, iuxta illud Cælla tibi, quaſi cælum ſit, qua cælica cernas.

De

De Calicis Ornatu. Cap. II.

CALIX, in quo Chriſti ſanguis ſolum, dum miſſa dicitur, conſeruatur, ſignificat ſepulcrum, in quo Chriſti corpus ſolo triduo permanſit; & in particulari ſecundum S. Hieronymum epiſ. 20. quæ eſt ad Marcellum, denotat Saluatoris noſtri paſſionem, carnis mortificationem, & animum ad martyrium ſemper paratum, iuxta Chriſti Domini noſtri verba Matth. cap. 26. Marci 14. & Lucæ 22.

Notandum eſt, calicem frequenter in ſacris litteris ſignificare etiam retributionem, quemadmodum cum dicitur in Pſalm. 74. Calix in manu Domini, & in Apoc. cap. 14. bibet de calice iræ Dei, ideſt de retributione indignationis eius, qua impijs retribuet ſecundum opera ſua condigna præmia, vt exponit Titelmanus in pſal. 15. ſuper verba illa: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.

Patena verò ſuper os calicis appoſita, lapidem ſepulcro ſuperpoſitum denotat ex Durando lib. 2. cap. 2. Pinello in tract. de ſacr. miſſ. p. 1. cap. 12. & S. Thom. 3. par. quæſt. 33. à 3. arg. 6. Si verò patena ſeiunctim ſumatur, ſignificat cor patens latitudine charitatis, ita Amalarius Fortunatus lib. 3. de eccleſ. rit. cap. 27. & Durandus in rat. lib. 4. cap. 50. num. 1. & 2.

Deſcribitur enim patena ab Iſidoro lib. 20. Orig. cap. 4. eſſe genus vaſis à patendo dictum, quod expanſis, patentibuſq; oris ſit, in quo corda ampla charitate innuit.

Calicis, & patenæ ex quacunque materia fiant à iure permiſſa deauratio iuxta rubricam, ſignificat diuinitatis Chriſti cum humanitate coniunctionem per vnionem hypoſtaticam, vt loquuntur Theologi.

Corporale tale dicitur, quia in ipſo corpus Chriſti ponitur ex Alcuino de celebr. miſſ. cap. 2. & quia fit ex lino albo: ſyndonem, in quo Chriſti corpus intra ſepulchri clauſtra inuolutum

Digitized by Google

permanſit, appoſitè connotat, & repræſentat, ex epiſt. Euſebij, & Silueſtri apud Gauantum in Theſ. p. 2. tit. 1. Sunt qui putent ita plicari debere, vt nec initium, nec finis eius appareat, & volunt ſignificari ſudarium capitis Chriſti, cuius caput eſt Deus, qui ob æternam, & infinitam immenſitatem, nec initium habet, nec finem, ſed non aptè hæc dicuntur, & melius cum alijs dicimus corporale ſignificare ſyndonem, qua ſacrum Chriſti corpus inuolutum fuit.

Palla, quæ pars corporalis eſt, ab hac eadem ſignificatione excludenda non eſt, quæ cum aliquando ſuper hoſtiam in patena exiſtentem, & aliquando ſuper os calicis ponatur, ne aliquid immundum intra calicem cadat, idcirco non incongruè ſigillum, quo Pilatus ſepulchri lapidem obſignauit, ne aliquis ipſum aperiret, & Chriſti corpus inde auferret, ſignificare poſſe, dicimus. Sylueſter quidem Papa ſecundum Rabanum vbi ſupra cap. 33. pallas, ſicut, & corporalia, vt diximus ſupra, ex ſolo, & puro lino conficiendas præcepit: quia linum de terra naſcitur, & ſignat corpus Chriſti paſſibile, & mortale de corpore terreno Virginis ſumptum, & propter ſui munditiam ad ſignificandam ex parte ſacerdotis offerentis conſcientiæ puritatem, & propter multiplicem laborem, quo præparatur ad denotandam Chriſti Domini oblati paſſionem aptiſſimum eſſe, vt S. Tho. 3. p. quæſt. 81. à 3. ad 7. ſignificat etiam innocentiam, & puritatem Saluatoris, cuius puritas abſque omnimoda macula fuit.

Purificatorium, licet ſacerdos in miniſterio miſſæ habeat manutergium, quo lotas manus exiccet, debet etiam habere purificatorium, quo vtatur ſolum, vel ad tergendas manus poſt tactum Sacramenti, vel ad tergendum calicem poſt ſanguinis ſumptionem, quod apertè ſignificat ſummam munditiam corporis, & mentis, qua Chriſti corpus, & ſanguis pertractari debeat; vel etiam, quia munditia ſacerdotalis debet eſſe longè maior munditia cuiuſcunque laici; ex Georgio Rubeno addi poſſet nonnihil accedere ad Veronicæ ſudarium deſignandum: ſtet cuique ſua deuotio.

Burſa,

Burſa, in qua corporale ad maiorem munditiam ſeruatur, ſignificare poteſt dignitatem ſacerdotalem, qua ſolis ſacerdotibus facultas, laicis inhibita, ſacra pertractari conceditur, Burcardus vocat burſam, ſed chronicum Moguntinum perā appellat. Non videtur in vſu fuiſſe ante Concilium Remenſe, in quo c. 5. iubetur corporale recondi ſimul cum libro, ſeu cum calice, conuenit enim, vt burſa in medio crucem habeat, vt mos eſt.

Sciendum eſt Pium V. diſpenſaſſe cum Hiſpanis, vt extra burſam corporale portari poſſit, ex Hier. Cantono in ſuo ordinario diuin. offic.

Velum, quo calix in totum velatus vſque ad offertorium, ſeu oblationem, & poſt communicatum ſacerdotem, velatum Iudæis myſterium ſignificat, apud quoſdam tamen ex parte tantum velatur, quia anterior pars veli ſuper calicem plicatur; ita vt calicis anterior pars tantum appareat, & reliquæ partes velatæ remaneant, id quod aptè ſignificat velum templi, quod in Chriſti morte, quæ ab offertorio vſque ad communionem in miſſa potiſſimum repræſentatur, à ſummo vſque deorſum ſciſſum eſt; tunc enim velum à calice deponitur, quod tamen poſt communionem iterum calici, vt ſupra opponitur; quia myſteria paſſionis Chriſti poſt eius mortem, & reſurrectionem, Chriſtiano populo aperta, & reuelata fuerunt Iudæis, & Gentilibus, per poſteriorem partem calicis repræſentatis, in ſua pertinaci obſtinatione, ac cæcitate manentibus; vel etiam ſignificat, quia calicis myſteria laicis velata, ſacerdotibus aperta ſunt, vt colligi poſſe videtur ex Amalario præfat. 2. ad lib. de ecc. off. ſiue, vt docuit S. Germanus in Theoria, ſignificat aerem tenebroſum tempore paſſionis Domini, cuius meminit Matthæus cap. 27. Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.

Hoſtia ſignificat ipſummet Chriſtum in ara Crucis æterno Patri oblatum, tanquam æquiualens, immo longè ſuperexcedens prætium pro redemptione mundi iuxta illud Prophetæ in pſal. 129. & copioſa apud eum redemptio: propterea enim hoſtia denarij formam repræſentat, vel etiam quia Chriſtus eſt ille

Digitized by Google

denarius diurnus, qui laborantibus in vinea Domini promiſſus eſt in mercedem, de qua propheticè ad Abraham dictum eſt: Ego ero merces tua magna nimis. Gen.cap.15. iuxta illud.

Se naſcens dedit ſocium,
Conueſcens in edulium,
Se moriens in pretium
Se regnans dat in præmium.

Aptè tamen ſignificat ex forma panis venalis panem illum, qui de cælo deſcendit, panem inquam Angelorum ab hominibus manducandum.

Dicitur hoſtia ab hoſtio, ideſt ferio, quia quod in ſacrificium antiquitus offerebatur, cædebatur, vt Leuit. cap.4. Hoſtia erat ſacrificium Deo oblatum, vel pro peccatorum remiſſione obtinenda, & dicebatur hoſtia pro peccato, vel pro gratiarum actione, pro beneficijs acceptis, ſiue etiam pro ſalute, & proſperitate offerentium, & dicebatur hoſtia pacifica: Hoſtia hæc noſtra fit ex pane, ſed in verum Chriſti corpus, & ſanguinem (liceat ſic loqui) tranſubſtantinò: congruum fuit ita fieri, quia Chriſtus ſe vti panem viuum de cælo deſcendentem exhibuit: Io: cap. 6. qui panis ex ſui prima inſtitutione, vt ſupra dictum eſt, azimus, hoc eſt ſine fermento eſſe debet, quia Chriſtus ſine peccato fuit, iuxta illud D. Petri, 1.cap.2. qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, ex Gemma lib. 1.c.31. & ex frumento, quia huic ſe Chriſtus comparauit. Io: cap. 12. Hoſtia debet eſſe mundiſſima ſine vlla penitus macula, & fractura, ne dum ex figura agni. Exodi cap. 12. Sed expreſſius ex decreto Aniceti Papæ apud Burchardum lib.5. cap. 29. ad integritatem Chriſti repræſentandam, ex Conſ. Coyacenſ.cap.3. & iuxta D. Io. cap. 20. Os non minuetis ex eo, & in modica quantitate ex decreto Alexandri Papæ dicentis: Quanto paruior, tanto potior. Formæ rotundæ, nedum quia in rotunditate hoſtiæ, patenæ, & calicis ſacrificij noſtri perpetuitas vſque ad finẽ mundi ſignificatur ex Gauanto in Theſ.p.2.tit.7.ſed etiã quia à D.Gregorio lib.4.Dialog.c.55. Hoſtia vocatur corona obla-

oblationis, quaſi ad ſignificandum Chriſtum, qui eſt Alpha, & Omega, Dominus orbis, ex Durand. lib. 4. cap. 30. Inſuper hoſtia habet imaginem Crucis, quod à Baronio tom. 1. Annal. ad annum Chriſti 58. deducitur ex lib. 1. Dialog. S. Gregorij cap. 2. ex vſu Romanorum panem coquentium quadrifida inciſione in formam Crucis decuſſatam, notat Humbertus Card. in diſp. contra Græcos, Romanam Eccleſiam in pane, aqua, & igne præparato, ſignificare tres ſubſtantias in Chriſto, carnem ſcilicet, animam, & deitatem. Quod ſi quæras cur hoſtia in altera tantum parte figuram habet, reſpondet Humbertus vbi ſupra, quia Chriſtus, Deus & homo eſt, vt Deus figura caret.

De ſignificatione eorum, quæ altare ipſum exornant, & in ſacrificio Miſſæ adhibentur. Cap. III.

ALTARE ſuper quo miſſæ ſacrificium celebratur, ſignificat menſam Chriſti, ſuper quam cum diſcipulis comedit Paſcha, & iſtud inſtituit ſacrificium, vt Amalarius lib 3. de eccleſ. off. cap. 5. & 21. & Durand. in Rot. lib. 1. c. 2. num. 12. Denotat etiam altare ipſam Crucem, ſuper qua Chriſtus obtulit ſemetipſum æterno Patri pro humani generis reparatione, ex D. Bernardo in ſerm. de Cœn. Domini, & etiam ſignat montem Caluarium, ad quem aſcendit calicem cum hoſtia in manibus ferens, & Crucem baiulans ad bibendum paſſionis calicem, hic eſt ſacer ille mons, de quo dixit Propheta Dauid in pſalm. *66*. Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare, altare quidem precioſa eſt menſa illa, quam Chriſtus Dominus contra noſtros aduerſarios præparauit, de qua idem Propheta in pſalmo 22. inquit: Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me: Quia igitur altare dicitur ab altitudi-

ne,ex Feſto,& alijs:quaſi ſit alta ara, ex Valfrido cap.5.vel alta res,ex Gemm.lib.1.cap.122.propterea præeminet in Eccleſia, vt Chriſtus inter membra eius, ex Ruperto lib.5.cap.30. Idcirco eius forma Chriſti corpus repræſentat, de quo in Euangelio dicitur: Sicut exaltauit Moyſes ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt apud Io: cap.3.

Gradus altaris ſunt virtutes, per quas ad Chriſtum itur ex Vgone Victorino in can.miſſ.cap.2.Iuxta illud pſalmi 83. Ibunt de virtute in virtutem, & videbitur Deus Deorum in Syon, & meritò fiunt ex lapide, ſeu petra, quia petra erat Chriſtus, inquit Paulus 1.Cor.cap.10. tunc quia Chriſti corpus in ſepulcro lapideo reconditum fuit. Matth.cap.27. Tum etiam quia per altare ſignificatur idemmet Chriſtus, qui iuxta Pſalmiſtam in pſalmo 44. fuit vnctus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, & in quo noſtræ oblationes, vt Deo Patri ſint acceptæ, ſunt offerendæ, vt S.Tho.3.par.quæſt.83.a.5.ad 5.

Altare non debet eſſe vacuum, ſed totum plenum, & integrum ſine vllo foramine, ex actis Eccleſiæ Mediolanenſis, ad deſignandam vndequaque plenitudinem, & integritatem Chriſti, ex D.Thom.loc.cit.vacuum enim erat Hebræorum altare ſine Chriſto. Altaris conſecratio ſignificat gratiæ pinguedinem ex cap. Altaria,de conſecrat.diſt.1.ex Conc. Agathenſi, & ex S.Cypriano,& S.Tho.loco ſupra cit. illiuſque conſecratio durat vſque ad amotionem tabulæ, vel fractionem quomodocunque ſigilli reliquiarum,vt fuſius Suar.diſput.81.ſect.5.

Altare portatile, quod paruam aram vocant, ab ordine Romano tabula itineraria appellatur, & in cap.vlt.de priuilegijs in 6.à Bonifacio VIII.vocatur viaticum, quia tempore perſecutionum, vt ſuperius dictum eſt, cum ſacerdotes loco certo conſiſtere nequirent, etiam in itinere, in locis priuatis ſacrum facere cogebantur, hac ara portatili pro altari ficto vtentes, & S. Ambroſius ea vſus eſt, celebrans in domo quadam priuata Romæ, vt refert Gauantus in Theſ. ſacrorum rituum p.1.tit.20.litt.q.

Oſculatur altare ad ſignificandum Chriſtum Dominum, cum

ad

ad nos venit ſanctam ſibi copulaſſe Eccleſiam, & adimpleuiſſe quod illa optauerat, dum inquit Cant. cap. 5. Oſculetur me oſculo oris ſui.

Tobaleæ, ſeu mappæ, & pallium dicuntur veſtes altaris, quæ Sanctorum gloriam ſignificant, quorum reliquiæ ibidem ſunt, ex Gem. lib. 1. cap. 134. & 168. & Amalario lib. 1. cap. 12.

Mapparum numerus ternario præſcribitur in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, vt ex Decreto Bonifacij VIII. apud Polidorum Virg. lib. 5. c. 6. & ex Conc. Rhem. apud Burchardum lib. 3. cap. 97. Angelus v. corporale, docet debere eſſe tres mappas, duplicatam vnam concedit rubrica, vt ſint tres: non ergo duæ tuta conſcientia ſufficiunt, vt Gauantus vbi ſupra litt. r.

Pallia ſunt diuerſorum colorum, quia ex Beda ſerm. 18. de Sanctis: Sancti in hoc mundo certant, vt ampliſſimas recipiant dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de paſſione purpureas, &c. ſignificat etiam pallium ornamentum virtutum in Chriſto ex Durando lib. 1. cap. 22. & eius ornatus, ſeu aurifrigium denotat charitatem, ex eodem, ibidem.

Dices quare altaria nudantur à feria v. in cœna Domini vſque ad Sabbatum?

Reſpondent Amalarius vbi ſupra, & Durandus lib. 6. cap 76. num. 2. ad ſignificandum, quia illo tempore Apoſtoli, qui & altaris, & Chriſti Domini veſtibus repræſentantur, relicto eo omnes fugerunt, vt ſe abſconderent, vt Matth. cap. 26. ſed iuxta ſententiam Ruperti Abbatis de diu. off. cap. 30. nudantur altaria dictis diebus, quia Chriſtus Dominus ſpecioſus forma præ filijs hominum, vt prophetauerat Dauid in pſalm. 44. tunc temporis viſus eſt non habens ſpeciem, neque decorem, & nouiſſimus virorum iuxta propheticum dictum Iſaiæ cap. 53. & ita nudus remanſit, quod milites poſtquam crucifixerunt eum, diuiſerunt ſibi veſtimenta eius, & apud Matth. cap. 27. & prophetauit idem Dauid in pſalm. 21. dicens: diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem, ita docet Io: Serranus in exp. miſſ. prælud. 2. num. 8. & 9.

Crux

Crux in medio altaris ponitur è regione oculorum cum ſacerdotis, tum populi, qui ad Chriſti paſſionem recolendam omnium maximè memoriam fidelium excitat, & Chriſti veſtigia nobis ſequenda proponuntur, ex Gem. lib. 1. cap. 135.

Notandum eſt, quod Crux Summum Pontificem, quocunque ierit, præcedit, ad ſignificandum magis ei, quàm cuiquam alteri conuenire, iuxta illud Apoſt. ad Gal. cap. 6. Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri, &c. Ita Durand. in Rat. diu. off. lib. 3 cap. 19. num. 19.

Candelabra, vt inſtrumenta ad ſuſtentandos cereos, populos ſignificant, & candelæ in ipſis accenſæ eorundem populorum fidem denotant, ex Innoc. III. Lumen prętetea, vel charitatem Chriſti in ſacrificio connotant, ex D. Auguſt. ſerm. 215. vel quia Chriſtus vt ignis rubiginem peccatorum conſumit ex Gab. Biel. lect. 13. vel quia ſponſum cum lumine expectamus, ex D. Hier. epiſt. 20. vel ad deuotionem excitandam ex Soto in 4. diſt. 13. q. 2. & 4. vel tandem candelę accenſæ ſignificant Chriſtum verum lumen, vt ſcriptum eſt apud Luc. cap. 2. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael; & apud Io: c. 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; Quare ideo ipſemet Chriſtus dixit in Ioan. c. 4. quamdiu ſum in mundo, lux ſum Mundi.

Micrologus de ecc. obſer. cap. 11. ait, iuxta Romanum ordinem nunquam abſque lumine miſſam eſſe celebrandam, & nos in 1. lib. cap. 7. non quidem ad tenebras depellendas, cum clara ſit dies, ſed in illius luminis typum, cujus ſacrificia ibi conficimus, ſine quo, & in meridie palpabimus, vt in nocte; ita Serranus vbi ſup. pręlud. 2. nu. 10. & D. Greg. hom. 3. in Euang. Aliquando per lucernas opera bona intelligit, aliquando autem lucem prædicationis, & doctrinę, vt lib. 10. moral. cap. 17. & vt diximus in 1. lib. Lumina in ſacrificio miſſæ debent eſſe cerea, ad ſignificandum caſtitatis ſymbolum, cum cera ſit opus caſtiſſimarum apum, quæ iuxta Ruperti notationem lib. 6. de diuin. offic. cap. 29. & Virgilij lib. 4. Georg. concipiunt

abſque

abſque concubitu, & pariunt, ait enim Poeta.

Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſoluunt, aut fætus nixibus edunt.

Immo adeò apes oderunt libidinem, vt citius homines pungunt libidinoſos, vt refert Pierius ex Plutarco lib. 26. Hierogl. vel tandem cera denotat Chriſti humanitatem, quæ in fauo Chriſto iuncta fuit melli diuinitatis iuxta Gloſam ordinariam, quemadmodum dixere Beda in cap. 24. Luc. & Rup. vbi ſupra. Tabella ſecretarum, quia non ex neceſſitate, ſed ad commodum adhibetur, propterea aliud myſterium illi non aſſignandum, niſi quod pro ſacris myſterijs penetrandis, laborandum fore, niſi Eccleſia per ſacros Doctores, & Prędicatores nobis illa ob oculos poneret.

Miſſale, quia adhibendum eſſe diximus, ne Sacerdos mente pro libro vtens, facile erret, deſignare poteſt diligentiam, quæ adhibenda eſt, vt peccandi periculum euitetur, vocabatur ſacramentale ex Lyndano pro liturgia S. Petri cap. 27. item liber myſteriorum à S. Hieronymo in catalogo ſcriptorum in S. Hilario, à dextero cornu altaris ad ſiniſtrum defertur, & iterum à ſiniſtro in dextrum reportatur: quia ſacra myſteria, bonis per dexteram, & mali per ſiniſtram ſignificatis, ſunt explicanda, & quia vt plurimum peccatores illa audire, vel negligunt, vel non digni ſunt; propterea iuſtis, & bonis, vt in iuſtitia, & bonitate perſeuerent, ſunt iterum conculcanda, & aſportatur dictum Miſſale à cornu epiſtolæ ad cornu Euangelij, vbi legitur Euangelium, ad ſignificandum, quod doctrina fidei, dum venit plenitudo temporis, quando Deus miſit vnigenitum filium ſuum, tranſiuit à Iudæis ad Gentiles, vt ſupra diximus, & ſonant verſus iſti relati à Durando vbi ſupra lib 4. cap. 23. num. 2.

Eſt ratio, cur pars altaris dextera Miſſæ
Principium, finemque tenet, mediumque ſiniſtra,
Dextera Iudæos, Gentiles læua figurat,
Cæpit ab his, defertur ad hos, refertur ad illos

L Noſtra

Noſtra fides : & erunt omnes in fine fideles.

Cuſſinus, ſeu puluinus ad Miſſale ſuſtinendum deſignat miniſtranda eſſe temporalia prædicanti verbum Dei,ad ipſius ſuſtentationem, & quietem ex Innoc.III.lib.2.cap.41.& ad ſuſtentationem miniſtrorum Dei ſemper fuit in præcepto, etiam de iure naturali; vnde ſacerdotibus Aegypti cibaria ex horreis publicis præbebantur,vt habetur in Gen.cap.47.ex Hugone vero lib.2. cap.20.Cuſſinus ſignificat cor tenerum audientis, & prædicantis verbum Dei, quod in Miſſali continetur, non durum, & lapideum, vt Iudæorum.

Tapetum, quod pedibus ſubſternitur, quaſi pedibus ſubſtratum,habet originem à Græco, ita ſignificat, quod ipſi ſacerdotes mundana calcare debent, vt colligitur ex Durando lib.1. cap.3.num.23.

Vinum, & aqua in Miſſa adhibentur, quia vinum ſignificat cordis lætitiam,vt in pſalmo 103.Vinum lætificat cor hominis, ſignificat etiam ſpiritualem Sacræ Scripturæ ſenſum, & grauiora Euangelij myſteria, vt Coſ. Dam. in Cant.Cant.lib.1.cap.2. Aqua verò ſignificat populos,vt in Apoc.cap.17.Aquæ multæ, populi multi; & quanam lætitia maiori Chriſtianus populus affici potuit, quam per ſanguinem Chriſti, in quem vinum illud conuertitur à peccatis redimi, & per eundem ad cæleſtem patriam reduci? Cœremonia vero mixtionis vini cum aqua, non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed de neceſſitate præcepti, vt dictum eſt, & iure quidem ratione ſignificationis: ſignificat enim vinum aqua mixtum, ſanguinem, & aquam,quæ de Chriſti latere in Cruce pendentis exiere, vt Alexander Papa huius cœremoniæ auctor epiſt.1. Ad omnes Orthodoxos, & habetur in cap.1.Sacrament.de conſec.diſt.2.

Cereus ex duplici capite myſterium connotat, & primo quidem quia in cornu epiſtolæ accenditur regulariter, quod legem antiquam refert, lumen ſcilicet ſuboſcurum, & ſub figurarum antiqui teſtamenti cortice latens; ſi verò ratione ſolemnioris feſti, duo accendantur,ſcilicet etiam in cornu Euangelij,id aptè ſigni-

Digitized by Google

ſignificabit clariorem tempore Euangelicæ legis fidem. Secundo ad excitandam circumſtantium deuotionem, dum in ſignum orationis accenduntur, vt colligitur ex D.Hieronymo epiſt.20. ad Marcellam, tandem altaria ſæpe ornari ſolent floribus, ſiue veris, ſiue fictis, non ineptè, ad ſignificandum, quod in altare ſignificantur flos illi campi, & lilium conuallium, de quo in c. 2. cant. cant. & id fit exemplo Nepotiani hac in re mirificè à S. Hieronymo commendati, vt refert Gauant.vbi ſupra par.1. tit. 20.num.110.

De primo Sacerdotis acceſſu ad Altare. Cap.IV.

SACERDOS ſacris veſtibus indutus, accedit ad altare, vt ſupra præparatum, & ſi eſt celebraturus ſolemniter, Diaconus, & Subdiaconus procedunt capite cooperto vnus poſt aliũ, vt aduertit Hugo Vict.de off.eccleſ.lib.2.c.14. Sed ſi celebrans ſit pluuiale indutus pro aſperſione aquæ benedictæ, debent dicti miniſtri pares cum celebrante procedere.ita cerem. Epiſc. lib. 2. cap.30. & 31. perueniens igitur ſacerdos ad altare ſiſtit ante infimum gradum illius, ibidem confeſſionem facturus; ante omnia autem profundè ſe inclinat (niſi ibi fuerit ſanctiſſimum Sacramentum, tunc enim genua flectere debet) quia Deum pro ſe, & populo rogaturus exaudiri cupiens, debet prius ſe ipſum humiliare; ſcriptum eſt enim, quod oratio humiliantis ſe, penetrat nubes, & donec propinquat, non conſolabitur, & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat. Eccleſ.cap.35. deinde à ſigno Crucis incipit miſſam, non ſolum quia Crucifixi mortem eſt repræſentaturus, & nihil magis Crucifixum repræſentat, quam Crucis imago, verum etiam, quia ſcriptum eſt ad Coloſſ.cap.3.Omne quodcunque facitis in Verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini

Digitized by Google

Noſtra fides : & erunt omnes in fine fideles.

Cuſſinus, ſeu puluinus ad Miſſale ſuſtinendum deſignat miniſtranda eſſe temporalia prædicanti verbum Dei,ad ipſius ſuſtentationem, & quietem ex Innoc.III.lib.2.cap.41.& ad ſuſtentationem miniſtrorum Dei ſemper fuit in præcepto, etiam de iure naturali; vnde ſacerdotibus Aegypti cibaria ex horreis publicis præbebantur,vt habetur in Gen.cap.47.ex Hugone vero lib.2. cap.20.Cuſſinus ſignificat cor tenerum audientis, & prædicantis verbum Dei, quod in Miſſali continetur, non durum, & lapideum, vt Iudæorum.

Tapetum, quod pedibus ſubſternitur, quaſi pedibus ſubſtratum,habet originem à Græco, ita ſignificat, quod ipſi ſacerdotes mundana calcare debent, vt colligitur ex Durando lib.1. cap.3.num.23.

Vinum, & aqua in Miſſa adhibentur, quia vinum ſignificat cordis lætitiam,vt in pſalmo 103.Vinum lætificat cor hominis, ſignificat etiam ſpiritualem Sacræ Scripturæ ſenſum, & grauiora Euangelij myſteria, vt Coſ. Dam. in Cant.Cant.lib.1.cap.2. Aqua verò ſignificat populos,vt in Apoc.cap.17.Aquæ multæ, populi multi; & quanam lætitia maiori Chriſtianus populus affici potuit, quam per ſanguinem Chriſti, in quem vinum illud conuertitur à peccatis redimi, & per eundem ad cæleſtem patriam reduci? Cœremonia vero mixtionis vini cum aqua, non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed de neceſſitate præcepti, vt dictum eſt, & iure quidem ratione ſignificationis: ſignificat enim vinum aqua mixtum, ſanguinem, & aquam,quæ de Chriſti latere in Cruce pendentis exiere, vt Alexander Papa huius cœremoniæ auctor epiſt.1. Ad omnes Orthodoxos, & habetur in cap.1.Sacrament.de conſec.diſt.2.

Cereus ex duplici capite myſterium connotat, & primo quidem quia in cornu epiſtolæ accenditur regulariter, quod legem antiquam refert, lumen ſcilicet ſuboſcurum, & ſub figurarum antiqui teſtamenti cortice latens; ſi verò ratione ſolemnioris eſti, duo accendantur,ſcilicet etiam in cornu Euangelij,id aptè ſigni-

Digitized by Google

ſignificabit clariorem tempore Euangelicæ legis fidem. Secundo ad excitandam circumſtantium deuotionem, dum in ſignum orationis accenduntur, vt colligitur ex D. Hieronymo epiſt. 20. ad Marcellam, tandem altaria ſæpe ornari ſolent floribus, ſiue veris, ſiue fictis, non ineptè, ad ſignificandum, quod in altare ſignificantur flos illi campi, & lilium conuallium, de quo in c. 2. cant. cant. & id fit exemplo Nepotiani hac in re mirificè à S. Hieronymo commendati, vt refert Gauant. vbi ſupra par. 1. tit. 20. num. 110.

De primo Sacerdotis acceſſu ad Altare. Cap. IV.

SACERDOS ſacris veſtibus indutus, accedit ad altare, vt ſupra præparatum, & ſi eſt celebraturus ſolemniter, Diaconus, & Subdiaconus procedunt capite cooperto vnus poſt aliũ, vt aduertit Hugo Vict. de off. eccleſ. lib. 2. c. 14. Sed ſi celebrans ſit pluuiale indutus pro aſperſione aquæ benedictæ, debent dicti miniſtri pares cum celebrante procedere. ita cerem. Epiſc. lib. 2. cap. 30. & 31. perueniens igitur ſacerdos ad altare ſiſtit ante infimum gradum illius, ibidem confeſſionem facturus; ante omnia autem profundè ſe inclinat (niſi ibi fuerit ſanctiſſimum Sacramentum, tunc enim genua flectere debet) quia Deum pro ſe, & populo rogaturus exaudiri cupiens, debet prius ſe ipſum humiliare; ſcriptum eſt enim, quod oratio humiliantis ſe, penetrat nubes, & donec propinquat, non conſolabitur, & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat. Eccleſ. cap. 35. deinde à ſigno Crucis incipit miſſam, non ſolum quia Crucifixi mortem eſt repræſentaturus, & nihil magis Crucifixum repræſentat, quam Crucis imago, verum etiam, quia ſcriptum eſt ad Coloſſ. cap. 3. Omne quodcunque facitis in Verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini

Digitized by Google

noſtri Ieſu Chriſti, & iſte ſacerdotis ad altare acceſſus, Chriſtum ad Caluariæ locum pro noſtra ſalute in Cruce ſe Patri offerentem repræſentat.

Notandum eſt, quod in miſſis ſolemnibus miniſtri omnes etiam Cruci, quæ in altari eſt, genuflectunt in tota miſſa, vt expreſsè habetur in tit.4. num.7.

Dicitur namque in ſigno Crucis: In nomine Patris,& Filij, & Spiritus ſancti, & licet in miſſa ſacerdos, vt plurimum ſignum Crucis exprimat ſine iſtis verbis, immo cum alijs, attamen, quia ipſius virtus à tota Trinitate illis verbis expreſſa, pendet, propterea in ſigno Crucis etiam ſine verbis prædictis, vel etiam cum alijs expreſſo tota ſanctiſſima Trinitas inuocatur,& eſt valde notabile, quod in miſſa nihil frequentius reperitur, quàm Crucis ſignum,quandoquidem in miſſa,in qua dicitur Gloria in Excelſis,& Credo,bis ſupra quinquagies Crux exprimitur,& ſi miſſa ſit ſolemnis (non loquimur de Pontificali) nouies ſuper quinquagies & in miſſis defunctorum quadraginta ſex vicibus, & quia ſacerdos ſacrum faciens,Chriſti Crucifixi imaginem gerit,propterea ſe ipſum decem & ſeptem vicibus,ſigno Crucis ſignat, 1. cum incipit miſſam, dicens, In nomine Patris, &c. 2. cum dicit: Adiutorium noſtrum in nomine Domini. 3. cum incipit Indulgentiam, &c. 4. incipiendo introitum. 5. in fine hymni Angelici. 6. 7. & 8. in principio Euangelij ſuper frontem, ſuper os, & ſuper pectus, 9. in fine Symboli. 10. poſt Sanctus, dicendo: Benedictus qui venit, &c. 11. cum dicit: Omni benedictione cæleſti, &c. 12. cum dicit: Da propitius pacem, &c. ſignat ſe cum patena à fronte ad pectus. 13. cum ſumens hoſtiam dicit: Corpus Domini noſtri,&c. 14. Signans ſe cum calice, 15. 16. & 17. in principio vltimi Euangelij ſuper frontem, os, & pectus.

Liber ſignatus bis, vel ad ſummum ter, nempe in principio vtriuſque Euangelij,& in fine miſſæ,ſignatur altare,vel liber.

Formatur item Crucis ſignum cum patena, & hoſtia ſuperpoſita cum ſacerdos eſt depoſiturus hoſtiam à patena ſuper

corpo-

Digitized by Google

corporale poſt illa verba, Suſcipe Sācte Pater, &c. Et idem fact cū calice ipsū ſuper corporale poſiturus poſt verba: Offerimus tibi Domine, &c. Benedicitur aqua ſemel in oratione: Deus, qui humanæ ſubſtantiæ, &c. Super oblata ter decies idem crucis ſignum imprimitur, primò cum dicit. Et benedic hoc ſacrificium 2.3.& 4. dicens: hæc † dona, hæc † munera, hæc † ſancta ſacrificia, &c. 6.5.& 7. cum dicit: bene † dictam, adſcri † ptā ra†tam, &c. 8.9.& 10. cum dicit hoſtiam † puram, hoſtiam † ſanctam, hoſtiam † immaculatam, 11.12.& 13. cum dicit: ſancti†ficas, viui†ficas, bene †dicis, ſuper hoſtiam tantum quatuor cruces fiunt, primò cum dicitur: vt nobis corpus, &c. 2. cum dicitur: bene†dixit, fregit, &c. 3. cum dicitur, cor†pus, & ſanguinem ſumpſerimus. Super calicem tantum decies crucis ſignum formatur, primò cum ſacerdos dicit: Et ſan†guis fiat, &c. 2. cum dicit: bene†dixit, deditque diſcipulis ſuis. 3. cum dicit, & calicem † ſalutis perpetuæ, 4. cum dicit, & ſanguinem ſumpſerimus, 5. 6. & 7. quando cum hoſtia benedicit calicem, dicens: per ipſum † cum ipſo, † & in ipſo †, 8.9.& 10. cum dicit, pax † Domini ſit † ſemper vo † biſcum.

Inter calicem, & pectus ſacerdotis cum hoſtia ipſa bis crucis ſignum formatur, cum dicitur: Eſt tibi Deo Patri † omnipotenti, in vnitate Spiritus, † &c.

Benedicitur in fine miſſæ populus, & ſigno crucis munitus dimittitur, cū illis verbis: Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, &c.

Si autem miſſa fuerit ſolemnis, ſeptem aliæ cruces ſuperadduntur, prima cum benedicitur incenſum in initio miſſæ ad illa verba, Ab illo benedicaris, &c. 2. ſuper idem incenſum cum eiſdem verbis in initio Euangelij, 3. cum ſacerdos eſt incenſaturus oblata ad illa verba, Per interceſſionem S. Michaelis, 4.5.& 6. quando cum thuribulo benedicuntur oblata. Incensū iſtud † à te benedictum † aſcendat ad te Domine † 7. cum benedicitur Diaconus cantaturus Euangeliū: Dominus ſit in corde tuo, &c. In nomine Patris, &c. En igitur quoties, & quando crucis ſignum in miſſa adhibetur, ad inſinuandum, vt puto, nihil ſæpius

reco-

recolendum, quam Chriſti paſſionem per crucis imaginem nobis repræſentatam; meritò igitur ab hoc ſigno ſacerdos celebraturus incipit miſſam. incipit deinde antiphonã. Introibo, &c. de qua mentionem facit D. Ambroſius lib. 4. de ſacram. cap. 2. quam etiam ante ipſum dici ſolitam, docet Micrologus cap. 13. Azorius tamen lib. 10 cap. 36. quæſt. 1 dicit in liturgia S. Iacobi initium haberi à confeſſione, de qua infra pſalmum Iudica me Deus, &c. Micrologus, vbi ſupra, & Durand. lib. 4. cap. 7. ex decreto Cæleſtini Papæ in miſſa appoſitum dicit, qui quidem Pſalmus dicitur pſalmus lætitiæ, quia in ipſo contra triſtitiam inuehitur per illa verba: Quare triſtis eſt anima mea, &c. Quod myſterio non caret; nam ſeruiendum eſt Domino in lætitia, iuxta illud pſalmi 99. Seruite Domino in lætitia, qui propterea in miſſis defunctorum, & tempore paſſionis omittitur, quo finito, confeſſionem facit, in qua ſe reum confitetur iuxta illud prouerbiorum cap. 18. Iuſtus in principio accuſator eſt ipſius, qui quidem mos etiam apud Gentiles in vſu erat, prout expreſsè colligitur ex Alexandro ab Alexandro lib. 4. dierum genialium, cap. 17. ſub his verbis: Quin etiam obſeruatum inuenimus, vt qui rem diuinam facturus erat ad ſuam leuandam culpam, ſe in primis reum dicere debeat, & nos pœnitere, ac fateri admiſſum vultumque ſubmittere, & ad omnem modeſtiam fingere. Huius etiam confeſſionis meminit D. Aug. ſerm. 48. de tempore, in quo pectus ter percutitur, quod ſignificare poteſt intus in corde incluſorum contextationem, ex D. Cypriano in lib. de oratione Dominica, vel ac ſi velimus cogitationes à corde pellere, ex D. Hieronymo in vita Hilarionis, vel quia pectoris tunſio, contritionem cordis ſignificat ex D. Auguſtini enarratione 2. in pſal. 31. deinde etiam ſignificare poteſt, quod nos ipſos ferimus, ne Deus feriat nos.

Miſereatur, & Indulgentiam, eſt quædam oratio deprecatiua, vt Deus nos mundet ab omnibus peccatis, quæ in confeſſione faſſi ſumus, vt inde ſic iuſtificati, facilius exaudiamur, his finitis, ſacerdos extendit, & iungit manus, quaſi aſtantium corda colle-

Digitized by Google

collecturus in vnum, ad Deum ſimul orandum, & propterea clara, & alta voce dicit: Oremus, oratione ſequenti ſub ſilentio pronunciata,in qua etiam patrocinium, quorum reliquiæ in illo altari ſeruantur,inuocatur,vt omnes iniquitates à nobis auferantur. Pontifex vel Epiſcopus ſumit manipulum poſt caſulam, quia denotat, ac figurat Chriſtum, cuius opera non fuerunt ante charitatem, gratiam, nos verò per pœnitentiam ad charitatem venimus, ob id alij ſacerdotes manipulum ante caſulam induunt, alias rationes vide apud Durand. lib.4.c.7.

De ſecundo Sacerdotis acceſſu ad Altare, & de Introitu. Cap. V.

SACERDOS ante quam incipiat legere introitum, aperit librum ad ſignificandum, quando Chriſtus Dei Agnus immaculatus librũ ſumpſit,eumque aperuit, & ſignacula ſeptem ſoluit, quæ erant in illo,vt apud Io: in Apoc.c.5. qui quidem ſacerdos confeſſione, & profunda inclinatione,hoc eſt humilitate, ac reuerentia remiſſa, ad altare accedit, illud in medio exoſculans, quod abſque dubio facit propter Reliquias Sanctorum ibi reconditas, prout verba ipſa ſacerdotis altare oſculando prolata, ſignificant. Quorum Reliquiæ hic ſunt; vt bene aduertit Hieronymus Cantonus in ordin. diu. off. Quod quidem oſculum hoc in loco fit in decreto Innoc.lib.2.c.15. & meminit eiuſdem Iuſtinus in fine Appol.2. ſignificat autem Chriſtum ſacerdotem in æternum ſibi Eccleſiam copulaſſe, ac pacem terris reddidiſſe, ſeu etiam deſiderium animæ iuſti à Chriſti gratia oſculari cupientis, iuxta illud Cant.1. Oſculetur me oſculo oris ſui. Poteſt etiam ſignificare reuerentiam, qua ſacra pertractanda ſunt, ſicut Eſther apicem virgæ Regis oſculabatur, neque myſterio vacat, quod dum oſculum altari infigit ſacerdos manus extenſas habet ad altaris

Digitized by Google

latera, nâm id bonorum operum extenſionem, ſeu ampliationem, quam ſacerdos ſemper curare debet, deſignare poteſt, iuxta illud Matthæi cap. 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona; prout annuere videtur Durand. lib. 4. cap. 39.

Et nota, quod in hoc ritu fit iunctio manuum, & extenſio earundem ad Latera altaris, non ſolum ad indicandam pacem à Chriſto vtrique populo Iudæo ſcilicet, & Gentili per latera ſignificatis nunciatam, vt aduertit Durand. cap. 12. Verum etiam, quia Chriſtus fecit vtraque vnum, hoc eſt ex duabus populis, vnum, vt adnotauit Io: Baptiſta Scortia lib. 3. cap. 12.

Inſuper ſciendum quod regulariter ſacerdos nouies oſculatur altare, & ſi ſit pacem daturus, decies, in quo numero plura contineri myſteria, quis ambigat? & fortaſſe illud præcipuè, quod huic ſacrificio eadem reuerentia ab omni cuiuſuis ſtatus homine per denarium numerum vniuerſitatem ſignificantem deſignato in terris exhibenda eſt, quæ à nouem Angelorum choris in cælis exhibetur, vel etiam, quia miſſa ab oſculo, hoc eſt reuerentia incipit, cum reuerentia ſequitur, & cum reuerentia deſinit.

His peractis ſacerdos introitum incipit, quod quaſi proemiũ miſſæ appellatur à Corrad. lib. 1. cerem. cap. 1. dicitur introitus, vel quia à ſacerdote dicitur ad altare introeunte, qui paulo ante dixerat: Introibo ad altare Dei, &c. vt inquit Microl. de ecc. obſer. cap. 1. vel quia populo eccleſiam initroeunte cantabatur, ex Phenano ad Tertullianum de coron. milit. à S. Gregorio appellatur Antiphona, & ab Ambroſianis vocatur Ingreſſa.

Notandum quoque eſt, Introitum, & verbum ſumi de Sacra Scriptura, & præcipuè ex aliquo pſalmo, quia in hoc libro præcipuè eſt conſumatio, & quaſi quædam compilatio totius Scripturæ Sacræ, nedum quia bonorum præmia, & malorum ſupplicia in ipſo deſcribuntur; verum etiam, quia documenta incipientiũ, progreſſus proficientiũ, perfectio perueniẽtiũ, vita actiuorũ, & ſpeculatio cõtẽplatiuorũ denotãtur, vt manifeſtè patet intuẽti.

Cæpit

Digitized by Google

Cæpit quidem dictus introitus ſecundum Alcuinum, & Durandum in Ratio. diu. off. lib.4. cap.1. temporibus Cæleſtini primi Papæ; ſed ſecundum Platinam in vitis Pontificum, inſtitutus fuit à S.Gregorio huius nominis primo. Verùm, vt ait Berno.lib.de off.Miſſ.Pontianus Papa fuit Auctor; & quidem mihi non videtur veriſimile, primum induci cœpiſſe introitum à Cæleſtino, vel à Gregorio, quia Dionyſius Areopagita Apoſtolorum coeuus, mentionem de pſalmis facit, qui ante Miſſæ ſacrificium canebantur, & eo magis, quod Baſilius in ſua liturgia tres pſalmorum verſiculos ad initium Miſſæ decantari iubet; ſed fortaſſe, vt bene animaduertit Azor, lib. 10 cap.34. Cæleſtinus Papa fuit primus, qui eum morem in Romana Eccleſia induxit, cum iam alijs in Eccleſijs mos ille ſeruaretur.

Eſt autem fere communis opinio, quod verſiculus Gloria Patri, &c. à Damaſo introductus fuerit, conſulente B. Hieronymo; quamuis non deſint aliqui, qui dicunt, huiuſmodi verſiculum inſtitutum fuiſſe à Concilio Niceno, & à Vuaſenſe ſancitum non ſolum Romæ, verum etiam in toto Oriente, & per Aphricam, vt refert Vualfridus in lib.de reb. eccleſ. c.25. Baronius in Annal.ad annum Chriſti 325.ex auctoritate Diui Baſilij probat, verſiculum Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, fluxiſſe ab Apoſtolis, & verſiculum: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum Amen. ex can. 7. Conc. Vaſenſis probat additum fuiſſe à Concilio Niceno. Damaſus autem Papa conſtituit, vt omnes pſalmi cum prædictis verſiculis clauderentur. Hic verſiculus omittitur tempore paſſionis, & in Miſſis Defunctorum, quia ad imitationem officiorum omittenda ſunt lętitiæ indicia, ex Alcuino.

Aliud enim non ſignificat introitus, niſi deſideria, vaticinia, laudes, clamores, & expectationes Patrum, eorumque orationes, & lacrymas repetitas, vt ſunt verba illa Iſaiæ Prophetę cap.16. Emitte Agnum Domine dominatorem terræ; item; Veni Domine, noli tardare, & : Rorate cęli deſuper, & nubes

Digitized by Google

pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem: quæ quidem verba ſic interpretari ſolent. Prædicatores annuncient Chriſtum, & Beata Virgo aperiatur per conſenſum, non per clauſtri virginalis ruptionem, quod etiam poſt partum clauſum remanſit, & integrum perſeuerauit, & concipiat, & pariat Saluatorem Chriſtum.

Introitus bis repetitur ad denotandam vehementiam deſiderij prædicti Sanctorum Prophetarum. Antiquitus ex decreto Cæleſtini Primi Papæ Pſalmi 150. ante ſacrificium cantabantur antiphonatim; hoc eſt ex omnibus pſalmis ſumebantur aliqui verſiculi, tanquam antiphonæ, vt docet Alcuinus de diu.off. quod etiam in vſu erat apud nonnullas Eccleſias ante ipſius tempora, vt videtur poſſe colligi ex D. Dionyſio cap.3. cap.3. de eccleſ. hierarch. & Caſſiano lib. 3. de inſtitut. Mon. cap. 11. At Baronius ad annum Chriſti 418. Cæleſtini primi decretum interpretatur de toto pſalterio cum antiphonis ante Miſſam cantando in Eccleſia Romana, cui ſubſcribit Belar. lib. 2. de miſſ. cap. 16.

De Kyrie eleiſon. Cap. VI.

INTROITV completo, ſacerdos iunctis manibus dicit Kyrie eleiſon; quia ex Amalario lib. 3. cap. 6. ante orationem ſpecialem ſacerdotis, neceſſe eſt præcedere miſericordiam Domini, vt ſerenetur mens ſacerdotis ad ea intendenda, quæ ore dicit, & vt dignus ſit Deum alloqui, & exaudiri. Cur autem in miſſa latinorum dicantur hæc verba, quæ græca ſunt, & Domine miſerere, ſignificant.

Sciendum eſt, quod poſt Apoſtolos Hebræo idiomate miſſam celebrantes etiam Græci, idiomate ſibi proprio celebrare cęperunt Adriano primo imperante, qui obijt anno

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti 140.vt videre eſt apud Stephanum Durantum lib.2. c. 1. & eædem præciſæ voces leguntur in liturgijs S.Iacobi,& Marci, ex Durando lib. 2.cap.13.A Græcis D.Silueſter Papa ad Romanos tranſtulit, ex Radulpho propoſ.23. fuiſſe autem in vſu in tota Italia, colligitur ex Conc. Vaſenſi can. 3. ante D. Gregorij ætatem annis 150. celebrato, vbi decernitur, vt ſacerdotes in Gallijs ad miſſam: Kyrie eleiſon decantent, eò quod in Romana & Apoſtolica Eccleſia, immo in tota Italia decantari ſoleat, idem affirmat ſeruatum fuiſſe Belar. lib.2.de miſſ. cap.16. & D. Aug. epiſt. 173. contra Paſcentium, dicit extenſum fuiſſe id ad omnes Chriſtianos,plures etiam aliæ nationes,inter quas Illyrici ſua lingua poſtea obtinuerunt miſſas facere, vt patet in vita Ioannis VIII. & Gregorij VII. vt nihil dicam de antiquiſſimo vſu Alexandrinorum, Cophſitarum,Armenorum. Dicitur autem nouies in miſſa non ex inſtitutione D.Gregorij Primi,vt nonnulli putant anno Domini 595. ſed ex eiuſdem D. Gregorij reſtitutione, vt ipſemet fatetur lib. 7. epiſt. 63. rationes huius numeri reddit D.Thom.in 4.ſent.in fin.8.diſt.& Alex.Alenſ.4.par.ſum. quæſt. 116. quarum prima eſt propter nouem ordines Angelorum, quibus aſſociari petimus, & eorum beneficijs adiuuari. Secunda propter fidẽ Trinitatis,ſecundũ quod quælibet perſona in ſe conſideratur, & in ordine ad alias duas, vel etiam ad ſignificandum, quod omnes perſonæ ſunt in ſe inuicem, hanc eandem rationem reddit idem D.Thom.3.p. quæſt.83.art.4. Tertia eſt, quam etiam ante D. Thomam notauerat Innocentius III. lib. 3. cap. 19.ter dici ad Patrem, ter ad Filium,& ter ad Spiritum ſanctum, ad ſignificandum quod dixit Dominus Io.cap.14.Patrem videlicet in Filio eſſe, Filium in Patre, & Spiritum ſanctum in vtroque.Poſſemus addere quartam propter nouem genera peccatorum,ſcilicet originale, actuale, mortale, quod in ſeptem capita diuiditur, & veniale, vt idem Innoc. vbi ſupra aduertit, vel dicitur etiam contra triplicem miſeriam,ſcilicet ignorantiæ, culpæ,& pœnæ. Notandum hic eſt magnam quidẽ eſſe iſtorum verborum efficaciam,quia,vt refert Durandus loc.cit.lib.4.c.12.

legitur, quod, dum B. Baſilius Kyrie eleiſon clamaſſet, portæ Eccleſiæ Papienſis, ſunt apertæ; & dum B. Geminianus eadem verba alta voce diceret, quinque Reges fugæ ſe dediſſe, dicuntur, vnde vt benè notat idem Durandus, fortè ſignificant aliquid aliud pręter Domine miſerere, quod nos ignorare fatemur.

Tandem notandum tribus primis vicibus, in quibus loquimur ad Patrem, & in tribus vltimis, in quibus loquimur ad Spiritum ſanctum, dici, Kyrie, ideſt Domine, intermedijs verò, in quibus loquimur ad Filium, variari, dicendo, Chriſte, quod ſonat vncte, ad notandas duas naturas, vnctam nimirum, & vngentem, hoc eſt humanam, & diuinam in Filio, & vnicam, infinitam tamen diuinam, & dominam, in Patre, & Spiritu ſancto, ita Amalarius lib. 3. de eccleſ. off. cap. 6. & Durandus vbi ſup. lib. 4. cap. 12. num. 3. & Serranus p. 1. num. 46. pag. 60.

De Gloria in Excelſis. Cap. VII.

POST Kyrie eleiſon, ſequitur hymnus Angelicus, eò quòd prima eius verba primi cecinerunt Angeli in Natiuitate Domini vſque ad verba: bonæ voluntatis; nam reliqua verba addita vſque ad finem, addita ſunt à varijs doctoribus, vt colligitur ex Concil. Tolet. 4. can. 12. & hoc modo conciliantur opiniones diuerſorum; nam nonnulli tribuunt Apoſtolis, ex clem. lib. 7. conſt. cap. 48. Alij Teleſphoro ex Inn. III. cap. 20. Alij Symmaco, vt dicit Berno cap. 25. de off. miſſ. & alij Hilario Pictauienſi Epiſcopo, ex Alcuino cap. de celeb. miſſ. qui quidem Beatus Hilarius, potius in latinum tranſtulit, vt ait Bouius ad Apoſtolos conſt. Clem. c. 47. lib. 7. Nam prædicti omnes aliquam partem addiderunt, nempè vnus vnam, & alius aliam; verum tamen eſt, quod in miſſa diceretur, conſtituit Theleſphorus ex Innoc. loc. cit. & ex epiſt. 1. eiuſdem Theleſphori, & Symacus iuſſit recitari in diebus dominicis, & natalitijs Marty-

rum, ex Alcuino, Amalario, & alijs, quia in Dominicis ſignificatur reſurrectio Chriſti, per quam Sancti ſociati ſunt in gloria, & regulariter dicitur in omni miſſa officio correſpondente, in quo dictum ſit: Te Deum laudamus, ex cap. conſilium de celeb. miſſ. quia hi duo hymni præcipuè continent laudes ſanctiſſimæ Trinitatis. Ab hac regula excipiuntur duo tantum miſſæ officio reſpondentes, in quibus non dicitur, Te Deum, &c. hoc eſt feria v. in cœna Domini, & Sabbato ſancto; nam in cœna Domini dicitur ex inſtitutione Nicolai Papæ, & ex cap. Porrò de conſ. diſt. 1. quia eo die gaudium eſt omnibus ob inſtitutionem ſacramenti, vt aduertit Durandus de cœna Domini, & in ordine Romano præſcribitur. Sabbato vero ſancto, ideo cum Gloria, nedum, quia pax data eſt renatis fonte baptiſmatis; verum etiam, quia hæc miſſa, eſt potius miſſa de reſurrectione, quæ antiquitus nocte ſequenti celebrabatur, vt meminit ordo Romanus; immo, & hodie pluribus in locis apud Vltramontanos tanquam congruentius myſterio id obſeruatur; ſed in Italia iuſtis de cauſis aliter viſum eſt iam multis ante ſæculis. Cum igitur hymnus iſte laudibus diuinis, & gratiarum actionibus, ſit plenus, nec non de cæleſti gloria mentionem faciat, propterea in miſſis Defunctorum intermittitur, vt notat Amalarius lib. 8. cap. 44. quia tunc non eſt locus lætitiæ, quàm hymnus Angelicus indicat, ſicut etiam in Septuageſima, quia tunc temporis primi hominis lapſus legitur in Eccleſia per cuius peccatum humanum genus ab Angelicæ iubilationis cœtu eſt expulſum, vt habetur de conſecrat. diſt. 1. cap. hi duo ſolummodo; ſimiliter in diebus luctus Aduentus; tandem non dicitur in miſſis votiuis, etiam tempore Paſchali, vel infra octauam, niſi in miſſa beatæ Mariæ in Sabbato, & Angelorum, in omni ſabbato, in quam, etiam Aduentus, Quatuor temporum, & Vigiliarum; non autem in alijs diebus extra ſabbatum.

Notandum eſt miſſæ S. Mariæ in ſabbato, vt inſtituerentur, auctorem fuiſſe Albinum Caroli Magni præceptorem, qui rogatu Bonifacij Archiepiſcopi Maguntini eam compoſuiſſe fertur, vna

vna cum alijs de Trinitate, de Angelis, de Spiritu ſancto, & de cruce, mentionem facit de hoc ritu Micrologus cap. 60. Vrbanus II. in Conc. Claramontan. 1096. In miſſis igitur beatæ Virginis Deiparæ, dicitur præfatus hymnus Angelicus in honorem illius, & miſſis Angelorum, quia prima verba hymni fuere primo prolata ab Angelis, vt Luc. cap. 1.

Similiter dicitur Gloria in excelſis, &c. in miſſa votiua ſolemniter dicenda pro re graui, vel pro publica Eccleſiæ cauſa, iuxta explicationē Rubricæ, & Sūmiſtarum, & dicitur ratione loci, vt refert Gauantus in theſ. p. 1. tit. 8. priuilegium fuiſſe datum Aedi beatæ Virginis Lauretanæ, vt ibidem in omnibus miſſis beatæ Virginis dici queat huiuſmodi Angelicus hymnus, & habetur in Synodo vltima Lauret. tit 2. num. 4. ſub Card. Roma.

Dicitur autem res grauis illa, pro qua conuenit totus Clerus cum Epiſcopo, vt Gauantus, vbi ſupra.

Huius igitur Angelici cantici principium, primum illum in Præſepe iacentis Chriſti incarnati puerilem vagitum ſignificat, iuxta illud.

Vagit infans inter arcta
Conditus præſepia.

Significat etiam cæleſte illud gaudium, atque ſanctorum Angelorum lætitiam, & beatæ Virginis iubilationem, vna cum ſancto Ioſepho, quibus illi, & iſta fuerunt affecti, quando Verbum caro factum, natum eſt nobis.

Quando ſacerdos incipit hunc hymnum, ſtat ante medium Altaris, ad denotandum, quod Chriſtus mediator fuit inter nos, & Deum, diſt. 10. quoniam per illius mediationem Deo pacificati ſumus, & ita natus eſt Deus homo, quia pacem poſuit inter Deum, & hominem, & naſci noluit in præſepio bouis, & aſini, quia pacem inter hominem, & hominem reparauit; per bouem enim populus Iudaicus, & per aſinum populus gentilis figuratur iuxta illud Deut. cap. 22. Non arabis in boue, & aſino, Iudæo ſcilicet, & Gentili, 16. quæſt. 7.

Epiſcopus Bethelem, quotidie, & in omni miſſa, & etiam in miſſa

Digitized by Google

miſſa Defunctorum decantat hunc hymnum: Gloria in Excelſis Deo, &c. propterea quod in regione Bethelem cantatus eſt, vt apud Lucam cap. 2. ita refert Durand. vbi ſup. cap. 13. plura vide apud Gauantum par. 1. tit. 8. & S. Thom. 8. par. quæſt. 83. art. 4.

De Dominus vobiſcum hoc eſt de ſeptem Salutationibus ſacerdotis ad populum. Cap. VIII.

COMPLETO Angelico hymno Gloria in excelſis, ſacerdos populum ſalutat, dicens, Dominus vobiſcum, quod ab Apoſtolis fuerit inſtitutum, affirmat Conc. Bracharenſe, 2. cap. 21. & ipſum ex S. Marci liturgia conſtat, & quidem deſumptum eſt ex Hebræorum more, qui quādo aliquem ſalutare volebant, dicere conſueuerant, Dominus tecum, vt Dominus vobiſcum, vt Ruth. cap. 2. tali enim modo legitur ibi Booz ſalutaſſe meſſores ſuos, quando de Bethelem rediens, dixit illis: Dominus vobiſcum, & ſic quoque Aſſa Rex ſalutatus fuiſſe legitur vna cum illis, qui ſecum aderant à Propheta 2. Paral. cap. 15. probat Petrus Damiani libro de Dominus vobiſcum; ſimili ſalutationis forma vſus eſt Gabriel Angelus ad Gedeonem Iud. 6. vim autem, atque efficaciam ſumit à Chriſto Domino, qui apud Matthæum cap. vlt. dixit: Ego vobiſcum ſum; ſed vt refert Gauantus, vbi ſupra ritus dicendi, Dominus vobiſcum, ortum habet à Clemente, ex Gemma lib. 1. cap. 87. vel ab Anacleto Papa, ex Hugone Vict. lib. 2. cap. 2. vel ab vtroque ex Radulpho Tungrenſi de canonum obſeruatione prop. 2. huius ſalutationis ſenſus ſecundum Durand. lib. 4. cap. 4. talis eſt: Dominus in vobis maneat, & petitionibus veſtris effectum tribuat; ſed ſecundum Petrum Damiani vbi ſupra docet his verbis, Dominus vobiſcum, ſe pacem habere cum

Digitized by Google

populo denotat, vel dicitur ad excitandos animos ad orationem ex Ruperto lib.1.cap.31.

Dices, cur dicitur Dominus, & non Deus vobiſcum?

Reſpondet Turrecr. in cap. Iacobus de conſecr. diſt. 1. quia Dominus poteſtatis eſt titulus, adeſſe verò nobis debet Deus tanquam potens, & fortis defenſor.

Tandem ſignificat Dominus vobiſcum, vt dicit Gabriel lect. 16. in can. miſſ. miſſionem diuini Verbi Incarnati, ipſiuſque ſuſceptionem cum gratiarum actione fidelium propter exauditionem orationis ipſorum, vt refert Serranus par. 1. miſſæ, num. 50. Huius ſalutationis meminit Sotus, & eſt apud Bruchardũ lib. 3. decret. cap. 74. Vide Belard. tom. 3. diſput. lib. 6. de Euch. de Dominus vobiſcum.

Notandum primo eſt, Pontificem, vel Epiſcopum, cum ſalutat populum, non dicere, Dominus vobiſcum, ſed loco ipſius, Pax vobis, & ratio eſt, quia Chriſtus Dominus, his verbis locutus eſt ad diſcipulos poſt reſurrectionem, vt apud Io. cap. 20. Cuius typum gerit Pontifex, & Epiſcopus, alia ratio eſſe poteſt ad oſtendendum ſe eſſe Vicarium Chriſti, ideo dicit, Pax vobis; ſed vt demonſtret poſtea, ſe eſſe de cæterorum ſacerdotum numero, dicit, vt alij ſacerdotes: Dominus vobiſcum, cum alias populum ſalutat; ita Innoc. III. lib. 2. cap. 42. qui ex S. Remigio deſumpſiſſe videtur, vt Gauantus vbi ſupra.

Huiuſcemodi autem ſalutationis vſus in miſſa antiquiſſimus eſt, vt patet ex Conc. Vacenſi, & liturgijs B. Iacobi Apoſtoli, & Chryſoſtomi, & Baſilij; fuit igitur huiuſmodi ſalutatio, vt diximus, in principio huius capituli, inſtituta ab Apoſtolis, & ſignificat etiam ſalutationem, quam Chriſtus eiſdem fecit poſt ſuam ſanctiſſimam reſurrectionem.

Notandum ſecundo ſeptem vicibus populum à Sacerdote ſalutari in miſſa, & id agere, vt ille ſeptem capitalibus vitijs excluſis, ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam, accipere mereatur, & hæc ſalutatio à S. Dionyſio de Eccleſia Hierar. diuiniſſima appellatur.

De

Digitized by Google

De his ſeptem vicibus, Dominus Vobiſcum, ſecundum opinionem Innoc.III.vbi ſupra,indicat ſuo tempore,vel non dictum fuiſſe in fine confeſſionis ante Miſſam, vel Miſſam ab eo ſumi præciſe ab introitu tantum, vt accurate aduertit Gauantus, & dicitur, Dominus Vobiſcum, etiam ſi vnus tantum adſit, quia per hanc ſalutationem ſalutatur Eccleſia vt Alex. Alenſ. par.4. quæſt. 36.

Notandum tertio, quod Sacerdos, quando ſalutat populum ad illum ſe vertere ſolet,præter quam ter,nempe in fine confeſſionis; quia tunc totus eſt ad ſe purgandum, vt inquit Gauant. vbi ſupra part.2.tit.5.de oratione. Ante Euangelium, quia totus eſt intentus ad Dei verba nuncianda, vt inquit Durand. vbi ſupra & in Præfatione,quia cor habet ſurſum ad Dominum; iamque intentus eſt ad ſacrificium Altaris pertractandum, vt ait Innoc. III. cap.22. cæteris vicibus ad populum ſe vertit Sacerdos,illum ſalutando, ad ſignificandum, quod Chriſtus Dominus in die ſuæ reſurrectionis multoties ſe manifeſtauit; primo Magdalenæ,in horto, dicens illi,Mulier quid ploras? quid quæris, vt Io: cap. 20. ſecundo Petro, vt Luc. cap. vlt. tertio Mulieribus, Matthæi vlt. quarto Diſcipulis euntibus in Caſtellum nomine Emmaus Luc.vlt.

In fractione hoſtiæ non ſe vertit Sacerdos, quia tenet Chriſti Domini Corpus in manibus, & debet attendere, illud reuerenter tractando, & iſta ſalutatio: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, repræſentat, quando Diſcipuli erant congregati propter metum Iudæorum,apparuit Spiritus dicens illis:Pax vobis; vt apud Ioannem cap. 20. & huiuſmodi ſalutationem, quæ fit ante communionem, Gauantus non numerat inter alias, & ideo iſtam pronunciat Sacerdos, vt per eandem auditores reddantur attenti; ſic enim ſalutat Populum quotieſcunque eum, vel ad precandum, vel ad audiendum excitat, & quia in ieiuniorum diebus Eccleſia Babilonicæ captiuitatis tempus repræſentat; ideo tunc Sacerdos populum tanquam abſentem non ſalutat; neque ad illum ſe conuertit, ſed abſolute incipit: Oremus,& fa-

Digitized by Google

cile, hac voce inſinuat pro illo orandum; & quoniam cum effe-ctu eſt orandum, ideo ſtatim ſubdit: Flectamus genua, vel humiliate capita veſtra Deo. Lege Durand. in Rat. Diu. off. lib. 4. cap. 14. Vbi dicit, id etiam repræſentare tempus Dominicæ paſſionis, quod inchoauit præcipue poſt cenam factam cum Diſcipulis; quia igitur illo tempore Chriſtus illos non ſalutauit; ſed pluries ad orandum excitauit; ideo Sacerdos, tunc populum non ſalutat, ſed ei orandum inſinuat, & quia tunc temporis Chriſtus Dominus in oratione genua flexit; propterea ſtatim ad illa flectenda Sacerdos Populum inuitat, & excitat, & in fine Miſſæ non ſe vertit ſalutaturus populum; quoniam eſt mox illum demiſſurus, vt aduertit Serranus prælud. 3. n. 16. pag. 32. eſt inquam, Dominus Vobiſcum, quaſi religioſa vocatio, qualis eſt inter religioſos particula illa, Deo gratias, aut Aue Maria vt notat idem Serranus vbi ſupra.

De, & cum Spiritu tuo. Cap. VIV.

ECCLESIA à temporibus Apoſtolorum ſalubri ſalutatione Sacerdotis accepta, & ipſa reſalutando orat, & orando reſalutat, dicendo, & cum Spiritu tuo; ſicut probatur ex liturgia S. Iacobi, & Marci, poſtulans, vt ſicut Sacerdos, Dominum eſſe cum populo, optauit; ita ſimiliter cum eo eſſe dignetur; quoniam dicens Eccleſia, ſiue Miniſter in perſona illius: Et cum Spiritu tuo; idem eſt, ac ſi diceret cum anima tua ſit, vt eum digne pro noſtra ſalute poſſis orare; ita Serranus in eſpoſit. Miſſ. par. 1. num. 52. pag. 67. Hoc cum Spiritu tuo, deſumptum eſt ex epiſt. 2. Pauli ad Thimot. cap. vlt. vbi dicitur, Dominus Ieſus Chriſtus cum Spiritu tuo, & ſecundum Durand. vbi ſupra hic eſt ſenſus: Tu facturus es preces ad Dominum pro nobis, & quia Dominus tantum preces illas approbat, & exaudit, quæ ex bono corde procedunt; Oramus & nos

Digitized by Google

nos ſimiliter pro te, vt ille, ſine quo nullum eſt bonum, ſit cum Spiritu tuo, vt qui tecum eſt in ore, ſit etiam in corde, & in te maneat; vel dici poteſt, vt ſcilicet Dominus ſit cum Spiritu tuo ad Spiritualem myniſterij ſui executionem, & iuxta ſententiam S. Chryſoſtomi hom. 18. in 2. epiſt. ad Corin. hæc reſponſio, & cum Spiritu tuo, aliud non ſignificat quam à Sacerdote benedici populum, & à populo Sacerdotem, & nihil melius ait, quam quod optet Sacerdoti, quod ipſe optat Eccleſiæ, vt inquit Florus Magiſter.

Dices quare non dicitur tecum?

Reſpondet Serranus vbi ſupra, vt totum, quod in Eccleſiaſticis officijs geritur, ſpiritualiter fieri perpendatur. Sed melius dicitur id dici propter communionem, omnes enim fratres ſumus in Chriſto, & ille nobiſcum eſt.

Notandum eſt, quod antiquitus à populo toto reſpondebatur, & cum Spiritu tuo; ſed nunc reſpondet Miniſter tantum; vel Chorus nomine totius populi, vel Eccleſiæ.

De orationibus, quæ Collectæ dicuntur. Cap. X.

POST Salutationis pronunciationem, Sacerdos reuerſus ad Orientem dicit orationes, quæ collectæ dici ſolent, & id facit, quia omnis noſtra oratio à Deo inchoata, circulariter per ipſum terminari debet, ideo Miſſa incipit ab oratione, & terminatur in gratiarum actione, & antequam dicat orationes, dicit Oremus, quod habet in liturgijs Sanctorum Petri, Iacobi, & Marci; de quo ſupra diximus, & dicitur ſemper ante orationes publicas, ex Auguſt. epiſt 106. ad Vitalem, & vocatur hæc dictio Oremus, ab Vranio ſcriptore vitæ S. Paulini Nolani Epiſcopi, Indictio orationis, qua alios ad illam, quæ ſequitur, inuitamus, vt manifeſtè patet, ita Gauant. refert par. 2. tit. 5. pag. 167.

Digitized by Google

Dicit igitur Sacerdos orationes conuerſus ad Orientem ad ſignificandum, quod debet mente ad illum eſſe conuerſus, de quo ſcribitur apud Luc.cap.1. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibas viſitauit nos oriens ex alto, & vocatur Chriſtus oriens, vt apud Zaccha.cap.6.Ecce vir Oriens nomen eius.

Notandum hic eſt, quod ſi Altare ſit Orientem verſus populum, Sacerdos verſa facie ad illum non vertit humeros ad Altare cum dicturus eſt, Dominus Vobiſcum, Orate fratres, Ite Miſſa eſt, vel daturus eſt benedictionem; ſed oſculato Altare in medio, ibi ſalutat populum, & dat benedictionem; quia ex traditione Apoſtolorum, orandum eſt, vt diximus, Orientes verſus. S.Athanaſius de plur.& neceſſ.quæſt.14.addit cauſſas, vt refert Gauantus,vbi ſupra,quarum prima eſt,quia ex Pſ.131. adorandum eſt, vbi ſteterunt pedes Domini, qui in monte Oliuarum in Oriente ſtare dicuntur, ex Zacchar.cap.14. Altera eſt, quia Deus eſt lux vera. tertia,vt reſpiciamus Paradiſum, vndè Adam eiectus fuit,eſt Clementis lib.8.conſt. cap.15.tandem multis alijs omiſſis rationibus, dici poteſt orandum eſſe ad Orientem ad differentiam Iudæorum, qui ad Occidentem orare ſolebant ex ſitu templi Salomonis, vt colligit Anaſtaſ. Nicen.quæſt.18. ſed cum Deus ſit vbique, nunc ad omnem partem celebramus. Aduertendum eſt non intelligendum eſſe de omni Altari ad Orientem, ſed tantum de eo, in quo celebrans habet, & Crucem,& populum ante faciem ſuam,vt bene aduertit Gauantus loc.tit.

Dicuntur orationes etiam Collectæ, & cur tali nomine appellentur, docet Azor.lib.10. Inſt.mor. cap.34. nimirum propriè Collectam dici collectionem, & conuentum populi frequenter; ita vt dicta ſit Collecta, quaſi collectio; vel quia, vt ſcribit Strabo de rebus Eccleſ.cap.22.in quo etiam conſentit Micrologus de Eccleſ.Obſeruat.cap.3. in illis omnia nobis neceſſaria breuiter colliguntur; vel quia omnium preces Sacerdotis videlicet, & populi ſimul collectas continent, vt Hugo de S.Vict.lib.2.de Sacram.cap.16. itaque propriè collecta eſt cætus

tus

tus populi in vnum collectus erga Deum, & eſt deſumptum hoc nomen collecta ex leuit cap. 23. Vbi Scenophegia, quæ eſt vltimum feſtorum legalium, collecta vocatur, quoniam in fructuum collectionem fiebat, vt Deut. cap. 18. Inde poſtea translatum eſt nomen ad ſignificandum dies feſtos, & celebres, in quibus frequens populus cogebatur: 2. Paralipom. cap. 7. fecit Salomon in die octauo collectam. Miſſa quoque deinde collecta denominari cæpit, propterea quia ad illam vniuerſus populus conueniebat.

Sciendum eſt, quod eleemoſinæ quoque, quæ in frequenti Chriſtianorum conuentu in commune conferebantur appellatæ ſunt collectæ, vt patet ex Apoſt. ad Cor. cap. vlt. de collectis autem, quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinaui in Eccleſijs Galatiæ, &c.

Denominatur quidem oratio collecta triplici ratione: prima eſt ad ſignificandum, quod poſtulationi diuinæ gratiæ mente ad Deum collecta, & intenta eſt inſiſtendum: ſecunda eſt, vt auditores reddantur attenti: tertia eſt, quia cum populus, vel Clerus de vna Eccleſia ad aliam procedit, tunc Epiſcopus, vel ſacerdos collecta à multitudine orationem dicere ſolebat, & illa propriè collecta dicebatur, vt docet D. Thom. in 4. Senten. in fine 8. diſt. & Alex. Alenſ. 4. parte ſum. quæſt. 116. in qua docet, nihil aliud nobis ſignificare huiuſmodi collectam, niſi quod totus Chriſti vitæ curſus fuit continua, & perpetua oratio, & ideo dixit Luc. cap. 18. Oportet ſemper orare, & non deficere, hoc eſt, quod non interrumpatur actus orationis, quaſi nunquam reſumpturus, ſicut faciunt quidam, qui ſtatim atque non exaudiuntur à Deo, deſinunt ab oratione, qui male faciunt: quoniam perſeuerãtia impetratur, quod petitur, quod exemplo probat Dominus apud Luc. c. 11. & ille ſi perſeuerauerit pulsãs, &c.

Dices cur in Miſſa vna, aut tres, aut quinque, aut ſeptem orationes adhibentur?

Reſpondeo primo, quia impari numero gaudet Eccleſia ex Innoc. III. ſecundo quia ob ſeptem petitiones, quæ in oratione

Domi-

Digitized by Google

Dominica continentur, vel ob ſeptem dona Spiritus ſancti, ſeptem orationes dicuntur. Quinque autem dicuntur ob Chriſti Domini plagas, & vulnera; ſed ſi loqui velimus de omnibus Chriſti plagis, quibuſdam deuotis reuelata fuiſſe dicuntur vulnera 5415. adeo, vt ſi quis per totum anni curſum, quotidie recitauerit quindecim orationes Dominicales, anno expleto, plagas omnes ſalutauerit exactiſſimè, vt refert Panigarola in ſuo Quadrageſ.in die Paraſceue. Tres orationes dicuntur ob myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis; vel quia reperitur ter in horto Dominus oraſſe, vt Matthæi cap.26.& Marci 14. Denique dicitur vna oratio ob vnitatis diuinæ Sacramentum, & non debet ſacerdos ſeptenarium numerum orationum excedere, quia cum dixiſſent Apoſtoli Chriſto, Domine doce nos orare, vt apud Matthæum cap.6. compendioſam eos orationem docuit Pater noſter, &c. quæ oratio omnia tum corpori, tum animæ neceſſaria continens, ſeptem comprehenditur petitionibus.

Dices ſecundo; cur aliquando ante orationem dicitur Flectamus genua, & ſtatim reſpondetur Leuate?

Reſpondet S.Baſilius in lib. de Spiritu ſanct. cap. 26.dici Flectamus genua ad ſignificandum, quod peccatum efficit, vt nos in terram cadamus, ſed Chriſti benignitas, & gratia nos extollit, & Cælum verſus leuat.

Dices, ſecundo, cur omnis oratio regulariter ad Patrem dirigitur, & terminatur in nomine filij.

Reſponderi poteſt, quia non per aliam viam nos ad æterna Dei beneficia poſſumus decurrere, quam per eum, qui eſt mediator Dei, & hominum, Homo Chriſtus Ieſus, & hoc eſt deſumptum ab Apoſtolo ad Romanos cap.5.vbi habetur: Gloriamur in Deo non noſtra virtute, nec merito, nec opere: ſed per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliati ſumus, ſcilicet per mediatorem Dominum noſtrum, & Io: c.14.dicit ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit nobis.

Sic igitur exponuntur verba iſta, per Dominum noſtrum, vt ſit ſenſus: ò Pater exaudi per filium tuum, qui hoc vult, & po-

teſt,

Digitized by Google

teſt, Vult, quia viuit, Poteſt, quia regnat, viuit, inquam, & regnat in vnitate Spiritus ſancti, ſpiritu benignitatis.

Dices quarto quare omnis oratio dirigitur ad Patrem, vel ad filium, & non ad Spiritum ſanctum?

Reſpondetur, quia Spiritus ſanctus eſt donum, iuxta hymnum: Veni creator Spiritus, &c. in quo dicitur, Qui paraclitus diceris, donum Dei Altiſſimi, &c. & à dono non petitur donum, ſed potius à largitore doni; petitur igitur à Patre, & filio, & ad eos ſermo dirigitur, tanquam ad donatores, & non ad Spiritum ſanctum, qui eſt donum; diriguntur tamen hymni, & ſequentiæ ad eum; ſed ſi oratio dirigitur ad totam Trinitatem; tunc dicitur in fine, Per Dominum, ſiue per eundem, & eiuſdem: vt in illa oratione Canonis. Suſcipe ſancta Trinitas, &c. & in illa, quæ dicitur in fine Miſſæ. Placeat tibi ſancta Trinitas, &c. in quibus concluditur: per Chriſtum Dominum noſtrum; ne videatur ſeparari Chriſtus à Trinitate; Oratio quidem, quæ dirigitur ad Deum Patrem, vt eſt illa: Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis, &c. tunc dicunt quidam; Qui viuis, & regnas Deus per omnia ſæcula, ſæculorum. Alij vero intelligentes, quod oratio ipſa dirigatur ad Deum filium, dicunt tunc: Qui viuis, & regnas in vnitate Spiritus ſancti Deus. plura vide apud Gauantum, vbi ſupra.

Notandum eſt orationes compoſuiſſe Ambroſium, ex Gem. lib. 1. cap. 87. & in Miſſali Romano multas eſſe illius, vt refert Gauantus in Theſ. part. 1. tit. 9. de orationibus. Gelaſius autem Papa illas auxit; & limauit ex Sigeberto anno Domini 487. tandem D. Gregorius quibuſdam additis, vel detractis in ordinem, & librum ſacramentorum redegit. Vualf. Strabo de reb. Eccleſ. cap. 22. & Microlog. c. 61. & Conc. Carth. 3. can. 23. & Mileuit. can. 12. vt refert. Gauantus vbi ſupra. Orationem autem A cunctis, &c. compoſuit Innoc. III. ex Durando lib. 4. cap. 15.

Dum ſacerdos in fine orationis dicit. Per Dominum noſtrum, &c. iungit manus, ad ſignificandum deuotionis, & humilitatis ſignum, quæ manus iunctio, optimè reſpondet concluſioni

Digitized by Google

ſioni orationis, cum dicitur in vnitate, vtraque ſcilicet manu iuncta, & dum ſacerdos dicit orationes in Miſſa manibus ſublimius elatis, vt humeros non excedant; id fit ad ſignificandum extenſionem Chriſti in Cruce, in qua ſtatim pro crucifixoribus orauit; ita Microlog. cap. 16.& in Innoc.III.lib.2.cap.28. & iſte ritus orandi manibus elatis forte deſumptus eſt ab Exod.c.17. nam Moyſes leuans manus vicit Amalechitas, & Rex Salomon expandit manus ſuas orans Deum, vt legitur 3.Reg.cap.8.

De Amen. Cap. XI.

SEQVITVR orationis concluſio,qua petitorum optatur efficacia, & confirmatio in dictione Amen; ſic enim reſpondet Clerus, vel Miniſter: huius reſpondendi ritus, Amen,meminit Auguſt.Epiſ.178.& tract.91.in Ioannem, huiuſmodi autem verbum, Amen, nec græcum; nec latinum eſt, vt ait Gabriel Biel in explic. Can. ſed vox eſt hebræa, quæ apud nos idem ſignificat, quod fiat. Vſurpata eſt in precationibus tempore Apoſtolorum 1. Cor. cap.14. tam à græcis, quam à latinis, numquam fuit mutata, vti aliæ etiam Hebrææ dictiones retinentur; & id factum fuit, vt omnis lingua in ſacrificio Miſſæ confiteatur, quia Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris, vt Innoc.III.lib.1.cap.33.

Accipitur etiam. Amen. Quandoque nominaliter, & valet tantum, ideſt verus, ſic in Apocal.dicitur·Hoc dicit Amen teſtis fidelis, & verus. Aquila quoque interpretatur vocem hanc, Amen, fideliter; Quandoque ſumitur verbaliter, ideſt, fiat, vt ſeptuaginta Interpretes verterunt: vnde in fine librorum (in quinque ſi quidem Pſalterium apud Hebræos diuiſum eſt) tranſtulerunt, fiat, fiat, quod in Hebræo idiomate, legitur Amen, Amen, Plura videri poſſunt apud S.Hieronymum in epiſt.134.& S.Bernardum ſer.7.in Cœna Domini. Hebræi igi-

tur

Digitized by Google

tur fractis pſalmis, & precationibus ſubiungere ſolebant, Amen, quaſi dicerent, ſit, vel fiat; non ſolum autem ſignificat verè, ſed etiam ſæpe certè; Vnde eſt, vel affirmantis, vel optantis; & Ideo Chriſtus in Euangelio frequenter dicebat, Amen amen dico vobis, hoc eſt verè dico vobis, extra de Iur. Iur. vt Azor. loc. cit. & denotat hic Amen, idem fiat nobis, ſicut oraſti, ſeu feliciter acta tua oratio. Fuit autem deſumptum nomen iſtud, Amen ex Apocal. cap. 11. & regnabunt in ſæcula ſæculorum, Amen, & D. Ambroſius exponit idem verum eſt, quod verbo ſonat, & quod ſignificet idem, quod veraciter inquit Diony. Carth. in expoſit. Euang. ſupra Matthæum c. 20. Plura vide apud Catechiſmum Romanum prope finem, & apud Orig. tract. 35. in Matth.

Dices, cur ſolum à Ioanne, & non ab alijs Euangeliſtis non dupplicatur Amen, Amen, Reſpondet S. Thom. ſuper Iſa. c. 25. quia ipſe Ioannes altiora in ſuo Euangelio narrat, quam alij Euangeliſtæ.

De Epiſtola. Cap. X II.

POST orationem, ſeu collectam ſacerdos legit epiſtolam, quæ eſt vox græca, quod enim græcè epiſtoli, dicitur, latinè epiſtola nuncupatur; à verbo epiſtello, quod mittere ſignificat Durand. vero in Rat. lib. 4. cap. 15. ait, dici epiſtolam ab Epi, quod eſt ſupra, & Stellin: quod ſignificat miſſionem; Itaque græcè epiſtola latinè ſuper miſſio, vel ſuperogatio dicitur. eſt igitur epiſtola ſupremæ commiſſionis per Apoſtolos, ac reliquos ſanctos ad hoc deditos compilatio; vnde, & litteræ de vna perſona ad aliam miſſæ, epiſtolæ appellantur; ſcilicet ſupra miſſæ, quaſi miſſæ ſupra, ſeu præter id, quod nuncius viua voce refert, ſicut, & Apoſtolus ſupra id, quod dixerat Epheſis, Corinthijs, Romanis, & alijs, epiſtolas mittebat, Miſſæ, inquam, ſupra, ſiue vltra teſta-

Digitized by Google

mentum vetus, & Euangelium, ex Alcuino de diu. off.

Auctores, vt epiſtola in miſſa legeretur, fuerunt Apoſtoli, vt habetur in liturgia S. Petri, tum ſucceſſores Apoſtolorum ex Can. 10. Apoſt. Diony. de Eccleſ. Hierar. c. 3. Clem. lib. 2. conſt. cap. 54. & quamuis Honorius in Gemma cap. 8. auctorem facit Alexandrum Papam, fortaſſe decreto ſtabiliuit, vt epiſtola in Miſſa diceretur, ita Gauan. in Theſ. ſac. rit. p. 1. tit. 10. littera. K, & Paulus Morig. in Pomar. Spirit. ait huiuſmodi ritum fuiſſe conſtitutum à S. Hieronymo Anno Domini 380. & Microlog. de Eccleſ. obſer. cap. 25. & alij, primum omnium dictum S. Hieronymum ad diuerſitatem vitandam, lectiones per totum anni circulum ex Prophetis, & Apoſtolis collegiſſe, inquiunt in libro, qui lectionarius, vel comes S. Hieronymi inſcribitur, & conſtat manifeſtè ex Conc. Brach. 1. ſub Theodoſ. cap. 20. Ante Anaſtaſium legebantur tantum epiſtolæ Pauli ex Demochare tom. 4. c. 15. deinde verò etiam aliorum Apoſtolorum; & Prophetarum epiſtolæ legebantur, vt Vualfrid. Strabo cap. 22.

Dices primo, quare epiſtola legitur ante Euangelium?

Reſpōdetur primo: quia epiſtola S. Ioannis denotat officium, quo ante Chriſtum functus fuit. Secundo id fieri ad exemplum Apoſtolorum, qui ibant ante Dominum, iuxta illud: Mittebat Dominus ante ſe binos, & binos. lege Rupertum lib. 1. c. 32.

Dices ſecundo; quare neque ſemper ſumitur epiſtola de veteri teſtamento, neque ſemper de nouo?

Reſpondeo, quia Ioannes præcurſor (cuius officium deſignat epiſtola) partim attinebat ad tempus legis antiquæ, partim verò ad tempus nouæ legis; dicebat enim, quod ad primum Veniet fortior me, cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſoluere, ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt; Vt Io. cap. 10. & apud Matth. cap. eodē. Ego Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini; quo ad autem ad tempus nouæ legis, dicebat. Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Hic eſt, de quo dicebā vobis; & ſicut prędicatio Ioannis pręceſſit prædicationē Chriſti; ita epiſtola præcedit ſicut vmbra lucē.

Cum

Digitized by Google

Cum legitur lectio ex Prouerbijs, Eccleſiaſte, Sapientia, Cantica Canticorum, & Eccleſiaſtico, dicitur lectio Sapientiæ: quia omnes quinque iſte libri dici communiter ſolent ſub nomine Sapientiæ, quia à ſapientiſſimo Salomone ferè cõſcripti fuere: tum quia admirabilis ſapientia in illis continetur; cum verò ſumitur lectio de Prophetis; lectio Prophetæ dicitur, cum ex epiſtolis Apoſtolorum, lectio epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli legitur; & ſic de reliquis.

Dices tertio, cur in inchoatione epiſtolæ dicitur. In diebus illis, & in principio Euangelij, vt plurimum: In illo tempore dici ſolet?

Reſpondetur huius differentiæ dupplicem eſſe rationem, prima eſt, quia epiſtolæ ſumuntur communiter ex Actibus Apoſtolorum, vbi frequenter reperitur: In diebus illis, ſimiliter, quia in Euangelijs ſæpe legitur. In illo tempore; Ideo cum Euangelium legitur, præmittitur: In illo tempore. Secunda ratio eſt, quia Dominus comparat ſe diei, & diſcipulos horæ illius, vt apud Io. cap. 11. propter quod aſſignatione geſtorum à Chriſto præmittitur determinatio temporis particularis: In illo tempore; in inchoatione vero prædictarum lectionum dicitur: In diebus illis.

Dices quarto, cur, cum dicitur epiſtola, ſedemus?

Reſpondet Durandus loc. ſupra citato: quia doctrina in ſilentio, & quiete eſt audienda.

Dices tandem, cur in Miſſa ſolemni, lecta epiſtola, Subdiaconus librum clauſum ſacerdoti repræſentat?

Reſpondeo, quod ſacerdos Chriſtum figurat, qui liber clauſus repræſentatur, ad ſignificandum, quod ſolus Chriſtus potuit aperire librum, & ſoluere ſignacula eius, in quo & ipſe Chriſtus, & eius myſteria clauſa erant; donec cępit ab ipſo Chriſto per prædicationem Euangelij operiri. Chriſtus autem legem, in qua clauſus tenebatur, opere impleuit, qui non venit legem ſoluere, ſed adimplere, vt Matth. cap. 4. Quamuis igitur epiſtola dignitate ſit inferior, legitur tamen ante Euange-

lium vltra rationes ſupra allatas, quia Ioannes, vt Lucæ cap. 1. præiuit ante Dominum parare vias eius; vel, vt ex minoribus animus audientium ad maiora ſentienda proficiat, & gradatim ab imis ad ſumma conſcendat, vt Vualf. de reb. Eccleſ. cap. 22.

Dices, an Miniſtri peccent mortaliter canendo epiſtolam, ſeu Euangelium in peccato mortali?

Reſpondet affirmatiuè Nauar. de pœnit. diſt. 6. cap. 1. §. ſacerdos. Suarez negat cum alijs 3. part. quæſt. 65. art. 4. magis placet opinio Nauarri, quia Apoſtolus primo Timoth. cap. 3. de Diaconis, inquit, miniſtrent nullum crimen habentes; ſi vero Subdiaconus miniſtraret ſine manipulo, quia ex officio non miniſtrat, non peccaret, ſi miniſtraret in peccato, vel cenſura.

De Deo Gratias. Cap. XIII.

IN fine epiſtolæ reſpondetur, Deo Gratias, quia, vt refert Burcardus, tempore D. Auguſtini Monachi dicere conſueuere Deo Gratias, cum hominibus occurrebant, de quo dicendi modo ipſe Auguſtinus mentionem facit ſuper pſalmum 132. vt refert Gauant. vbi ſupra, ſed melius dicitur, quod pro doctrina Apoſtolorum hæ referuntur gratiæ, & ſi epiſtola erat Apoſtoli Pauli, reſpondebatur in fine; Pax tecum, ex Auguſtino epiſt. 163. Deo igitur gratias agimus, quia Diuinæ doctrinæ ſuæ panem nobis frangere dignatus eſt.

De

Digitized by Google

De Graduali. Cap. XIV.

GRADVALE, ſeu Gradale dictum fuit, eo quod cantabatur in inferiori gradu, vt ait Rabanus lib. 1. cap. 33. vel iuxta gradus pulpiti, ad quos aſcendebat Diaconus Euangelium alta voce annunciaturus, vt Vualfrid. cap. 22. & Rhenan. ad Tertullianum de cor. milit. Cantari autem cæpit, auctore Cæleſtino I. vt aiunt, Sigiber. anno Domini 426. & Ruper. lib. 2. diu. off. cap. 21. quæ Gradualia in Antiphonario Gregoriano, Reſponſoria appellantur. Quidam Gregorium Primum, vt Sigibert. vbi ſup. Alij Gelaſium Primum faciunt auctorem.

Dices primò quis compoſuit Graduale?

Reſpondet Radulphus propoſ. 23. compoſuiſſe Ambroſium; ſed Durand. loc. cit. refert in Gelaſium, & Gregorium. Ne igitur tempus illud neceſſariò interponendum epiſtolæ pertranſiret otioſè, eiuſmodi verſiculi ſunt adhibiti, qui aliquando Gradualia ob rationes obſignatas aliquando Proſæ, ſiue Sequentiæ denominantur.

Dicitur etiam Graduale à gradu, quo graditur, vel aſcendit de virtute in virtutem; vel dicitur Graduale, ideſt, Gradale, ad denotandum, quod Apoſtoli gradiebantur poſt Dominum; Diſcipuli poſt Magiſtrum, vel tandem dicitur Graduale ad ſignificandum, quod auditores operibus reſpondere debent, his in epiſtola auditis, iuxta illud Iacobi cap. 1. Eſtote factores verbi, & non auditores tantum.

Dices ſecundò, cur vt plurimum hi verſiculi cantantur mœſti poſt epiſtolam?

Reſpondeo primò ad ſignificandam perſecutionem, quam doctrina Apoſtolorum paſſa eſt. Reſpondeo ſecundo, ad inducendum populum ad pœnitentiam, ſic enim legimus apud

Matth.c.3. quod publicani, & peccatores compuncti prædicatione Ioannis confitebantur peccata ſua, ſcilicet in communi, non confeſſione ſacramentali diſtincta, atque plenaria, prout confeſſio eſt ſacramentum nouæ legis, quia tali modo à Chriſto eſt inſtituta, vide Carthuſianum ſupra cap.3.cit.Matth. Poteſt denique Graduale, ſiue Reſponſorium referri etiam ad Apoſtolorum reſponſionem, Chriſto enim vocante, & dicente Matth. cap. 4. Venite poſt me: ipſi non tantum verbo, verum etiam opere reſponderunt, quia relictis omnibus ſecuti ſunt eum.

Diceres tertiò, quare Graduale ſemper dicitur poſt epiſtolam, præterquam tempore Paſchali?

Reſpondet Rupertus lib.1.cap.34.quia Graduale lamentum indicat, & laborem, quæ cum tempore ſummæ lætitiæ Paſchalis minimè congruunt.

De Alleluia. Cap. XV.

POST Graduale dicuntur duo Alleluia, quoniam poſt luctum ſequitur lætitia, vt Rupertus lib.1.cap.35.& qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent, vt Dauid in pſalm.125.& Matthæi cap.5. Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur, ideo poſt Graduale cantatur Alleluia, quia eſt lætitiæ canticum, & auditum ab Angelis de ſpe veniæ conſequendæ, auditum, inquam, ab Angelis decantantibus. Poſt hæc audiui quaſi vocem magnam turbarum multarum in cælo dicentium Alleluia, ſicut legitur in Apoc. cap. 19. & ſumma quidem fuit lætitia in tempore paſchali multas ob cauſas; & inter alias poſt recuperatum Thomam, vt Gauant.p.p.tit.10. littera P.

Dices primò, quæ vox eſt Alleluia?

Reſpondet Rupertus vbi ſupra eſſe vocem peregrinam ad exprimendum peregrinum gaudium, quod in cæleſti Hieruſa-

lem

lem nos manet, & eſſe vocem Hebræam, quæ ſignificat laudate Dominum, vt Auguſtinus in pſal. 118. cum plenitudine tamen gaudij, & exultationis, vt D. Thom. poſt gloſ. in cap. 19. Apoc. & hoc hebraicum nomen Alleluia, vocabulum eſt, ſignificans potius, quàm exprimens, ineffabile gaudium in hac vita peregrinantium, gaudium videlicet Angelorum, & hominum in æterna felicitate lætantium, & ideò à Septuageſima vſque ad Paſcha non cantatur, quoniam mœſtitiæ tempore lætitiæ carmen cantari non debet. Huius vocis expoſitio ſecundum ſententiam Innocentij III. habetur in pſalm. 112. cum Alleluia præmittitur in titulo, ſtatim pſalmum exponendo, titulus incipit, Laudate pueri Dominum, &c. Sed D. Aug. expoſitio hæc eſt. Al, ideſt ſaluum, le, ideſt, me, lu, ideſt, fac, ia, ideſt, Domine: Diuus verò Hieronymus, ſic exponit. Alle, ideſt, cantate, lu, ideſt, laudem, ia, ideſt, ad Dominum. S. Gregorius, inquit, Alle, ideſt, Pater, lu, ideſt, Filius, ia, ideſt, Spiritus ſanctus, vel, Alle, ideſt, lux, lu, ideſt, vita, ia, ideſt, ſalus: Sed Petri Antiſiodorenſis expoſitio hæc eſt. Altiſſimus leuatus eſt in cruce, lugebant Apoſtoli, iam ſurrexit, plures expoſitiones vide apud Durand. lib. 4. c. 20. & Gauant. in Theſ. Sac. Rit. p. p. tit. 10 num. 45.

Cæterum Alleluia, vel Halleluias tantum ſignificat laudate Dominum, vt patet ex radice vocis hebrææ, & partium compoſitione. Reliquæ expoſitiones, præterquam Hieronymi ex ignorantia linguæ Hebrææ procedunt, vel voces accomodatitiæ ſunt ex ſenſu, ſine vero ſignificato.

Dices, quare Alleluia geminatur?

Reſpondetur geminari ad ſignificandam laudis geminationem, vel vt ait Gauantus vbi ſupra, ob geminam animæ, & corporis glorificationem, quam expectamus.

Notandum hìc eſt, vt benè notat Durand loc. cit. quod quibuſdam in Eccleſijs, quando aliquis cantat, Alleluia, aliquid in manu ſumere ſolet ad deſignandum, ſe Deum, non ſolum voce, ſed etiam opere collaudare, ſeu manus ducere ſolet

iuxta

Digitized by Google

iuxta Pſalmiſtam in pſalm. 46. Omnes gentes plaudite manibus, iubilate.

De Tractu. Cap XVI.

QVONIAM, vt diximus, Alleluia, eſt Canticus lætitiæ, ideò à Septuageſima vſque ad Paſcha ille omitti ſolet; hi enim ſunt dies, in quibus noſtræ captiuitatis memoria recolitur; ſed loco Alleluia, poſt Graduale dicitur Tractus, qui verſiculus ſecundum Durand. in Rat. lib. 4. cap. 21. num. 1. & Hugonem de S. Vict. lib. 2. de ſacram. cap. 19. Dicitur Tractus à trahendo, quia tractim cantatur, & veluti tractæ voces lugubres gemitibus, & ſuſpirijs admixtæ ſunt, & Alcuinus de Septuageſima, & Azor. lib. 10. cap. 86. quæſt. 8. & canitur aſperitate vocum, & quod miſeriam, atque laborem præſentis incolatus deſignat, de quo Propheta in pſal. 119. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt; hoc eſt afflictio, & dolor eſt mihi, quod peregrinatio iſta vitæ meæ nimium ſit prolungata ſuper terram; idem enim ſonat tractus, quod luctus ex ordine Romano de Septuageſima.

Tractuum inſtitutionem Rupertus lib. 2. de diu. off. cap. 21. tribuit Teleſphoro. Azor. vbi ſup. refert in Cæleſtinum, vel in Gelaſium, ſed credendum eſt, hos Pontifices perfeciſſe Tractus vt ſentire videtur Gauantus p. p. tit. 10. litt. Z.

Repræſentat etiam Tractus longam Sanctorum Patrum in Lymbo exiſtentium expectationem, tam ardenti deſiderio Dei ſalutare videre cupientium; nec non etiam Iudæorum captiuorum mœrorem, atque afflictionem, qui in Babylonica captiuitate ſuper dictæ Ciuitatis flumina ſedentes, & flentes, ſua organa in ſalicibus ſuſpenderant, iuxta pſal. 136. Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, cum recordaremur tui Syon, in ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra.

Signi-

Digitized by Google

Significat quoque Tractus Chriſtum Dominum tractum ad diuerſa iudicum tribunalia, & exprimit gemitum, & canticum lacrymabile. Dici etiam poteſt Tractus, quia Sancti ſuſpirantes, à pectoris imo gemitum trahunt, commorantes in hac lacrymarum valle, & præ ſupernæ beatitudinis dilectione gemunt ſuæ patriæ memores, quaſi dicentes cum Propheta in pſal.cit. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? & quamuis præſentis vitæ dies ſint perbreues; illis tamen, qui ſuam cognoſcunt peregrinationem perlongi, & multi videntur, propter cæleſtis patriæ deſiderium; Ideo Propheta in pſat.cit. 119. aiebat. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt:& Apoſtolus: Cupio diſſolui,& eſſe cũ Chriſto;& quia vt diximus Tractus mœrorẽ inſinuat, ideo ſingulariter decantari ſolet,iuxta pſalmum 140. Singulariter ſum ego,donec tranſeam. Chald. Paraphr.ſic habet, Singularis ſum ego,donec tempus tranſeat; Vide Greg. in 3.lib. Dialog. cap.34. & Franc. Titelman. in pſalm.cit.

Notandum eſt Tractum cantari diebus ijs,quibus frequenter populus eſſe ſolet, vti diebus Dominicis, in Ferijs ſecundis, quartis, & ſextis Quadrageſimæ, & id fit ad excitandum illum ad luctum. Tandem notandum eſt, Tractum locum habere à Septuageſima ad Paſcha, quia eo tempore mortem lugemus, quæ per Diaboli inuidiam in mundum intrauit; ita Rup. lib.5.cap. 13. vel præſentis vitæ miſeriam flemus, vt Innoc. III. lib. 2. cap. 32. Dicitur autem die dominico, vt in die lætitiæ recordemur luctus peracti, in alijs autem diebus, quò illi olim erant deſtinati pœnitentijs.

(***)(***)
(***)
(*)

De Sequentia. Cap. XVII.

POST Alleluia aliquibus in feſtiuitatibus dicitur Sequentia, quæ ſimiliter vocatur Iubilatio ab ordine Rom. & appellatur Sequentia, quia per cantus amœnitatem ad ſequentia præparat; ita Hugo Vict. de off. eccleſ. lib. 2. cap. 19. vel quia ſequitur Alleluia; Dicitur etiam Proſa, quia caret lege metri, vt Cornelius Schaltigius relatus à Gauanto p.p. tit. 6. littera E. Dicitur etiam canticus exultationis, & id fit ad inſinuandam geminam ſtolam glorificationis, quam Sancti ſunt accepturi, animæ videlicet, & corporis: Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis, iuxta pſalm. 139. ſecundum verò ſtolam carnis, iuxta illud Sapientiæ cap. 3. Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.

Sequentias in miſſa dicendas inſtituit Nicolaus Papa, vt Durand. lib. 2. cap. 22. Sed illarum auctorem fuiſſe Abbatem Nogerum, ſeu Notrum S. Galli, illaſque approbaſſe dictum Pontificem, inquit, Radulphus propoſ. 23. Verùm Sequentias aliquas in S. Ambroſium, & S. Auguſtinum relatas fuiſſe, ſcribit Durand. vbi ſupra.

De Sequentia Victimæ Paſchali, quæ dicitur in Paſchate; mentionem ſuboſcuram facit auctor Gemmæ anim. lib. 3. c. 135. Sequentiæ verò in Pentecoſte, Veni Sancte ſpiritus, &c. Auctor fuit Robertus Rex Franciæ, vt Trithemius, & Durand. loc. cit. circa annos 1003. vel Hermanus Contractus Theutonicus ex ligno vitæ lib. 5. cap. 70. Sequentiam in ſolemnitate Corporis Chriſti: Lauda Syon Saluatorem, &c. compoſuit S. Thomas Aquinas; cuius tamen auctorem facit S. Bonauenturam Ioannes Rioche. lib. 4. comp. temp. c. 71. coll. 3. idem Hermanus Contractus antiphonã compoſuit, Alma Redẽptoris Mater. Petrus Cõpoſtellanus Epiſcopus fuit auctor, Salue Regina, vt Dur. vbi ſup.

Circa

Circa Sequentiam Defunctorum: Dies iræ,dies illa, varij varios faciunt auctores; nam auctor Ligni vitæ lib.1. ideſt Arnoldus Vuion lib.1.cap.70. refert in S. Gregorium; ſed Stephanus Proyſthinius lib.1.de quatuor nouiſſimis, auctorem facit S.Bernardum, cuius initium eſt, inquit ille.

Cum recordor moriturus,
Quid poſt mortem ſim futurus,
Terror tenet me venturus,
Quem expecto non ſecurus.
Terret dies me terroris
Dies iræ, ac furoris,
Dies luctus, ac mœroris
Dies vltrix peccatoris.
Dies iræ, dies illa, &c.

At cum hi præfati verſus ſint quaterni, reliqui vero terni, totius Sequentiæ huius auctorem fuiſſe S. Bernardum, ad credendum me inducere nequeo; ſed potius crederem tantum octo verſus ſupra relatos à dicto Bernardo compoſitos fuiſſe. Bzouius verò anno 1294.num.37.& 38. ex Leandro Alberto huiuſmodi Sequentiam tribuit Latino Cardinali Vrſino; ſeu Frangipanio, qui idem eſt, vt inquit Gauant. vbi ſup. Alij referunt in Innominatum ex ordine S. Franciſci, nomine autem Thomas de Cælano, qui viuebat anno 1250. vt refert Angelus Ellius in Speculo ſpirit. lege Gauant. in Theſ. p.4. tit.18. num. 9. In hac autem auctorum varietate, quis dictam Sequentiam compoſuerit, Lectoris arbitrio iudicandum relinquo.

Notandum eſt, quod, quando non dicitur Alleluia, Sequentia dici non ſolet, præterquam iſta Defunctorum.

Digitized by Google

De Euangelio. Cap. XVIII.

DICTO Graduali, ſeu Alleluia, ſeu Tractu, ſeu Sequentia, dicitur Euangelium, quæ vox Græca eſt, idem ſignificans apud Latinos, quod bonum nuncium, vt Iſid. lib.3. cap.11. & hic accipitur pro textu hiſtoriæ Euangelicæ lecto ab Apoſtolis in miſſa, quod deducit Cornelius Scultingius p.p. cap.19. ex illo Pauli, quod de Euangeliſta Luca ait. Cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias. Vel ſumitur pro Chriſti, & Apoſtolorum prædicatione: Salutem enim (vt inquit Anaſtaſius epiſt.ad Epiſc.German.) nuntiat Euangelium omnibus *filijs* Dei, quod Apoſtolorum ſucceſſores in miſſa legendum curarunt; vt omnes teſtantur liturgiæ, & Strabo cap.22. Alexander verò Papa vſum decreto firmauit; vt docent Radulphus propoſ.13. & Gemma lib.1. c.88. Quod Euangelium per annum compoſitum fuit à S.Hieronymo, ex Gemma vbi ſupra cap. 87. Euſebius autem lib.2. hiſt. Eccleſ. cap.14. ex Clementis Hypotepoſeon refert S.Petrum Euangelium S.Marci in Eccleſijs legendum ordinaſſe, lege Cornelium Scultingium in Biblioth.Eccleſ.tit.1. cap.19.

Antequam Sacerdos Euangelium legere incipiat, dicit, Munda cor meum; & iube Domne benedicere; ad inſinuandum maiori indigere benedictione illum, qui Euangelij ſemina tradit quam, qui accipit, vt Amal.lib.3.cap.18. & quomodo prædicabunt niſi mittantur, vt Apoſtolus cap. 10. & ideo orat Sacerdos, vt à Deo mittatur, vt Innoc.III. lib.2.cap.15. vel ab habentibus eius auctoritatem.

Vnde ad Hebræos cap. 5. Nec quiſquam aſſumit ſibi honorem, niſi qui vocatur à Deo, quod intelligendum eſt de iuſta, ac debita prædicatione. Quibus orationibus dictis accedit ad dexteram partem Altaris, & dicto Dominus vobiſcum, vt audi-

Digitized by Google

torum animos attentos reddat, & paratos ad recipiendum cum fructu Euangelij lectionem, vt Hugo de S. Vict. lib. 2. de ſacram. cap. 20. ſignat primò librum ſuper principio Euangelij, quaſi dicat, hic eſt liber Crucifixi. vt Gauant. p. 2. tit. 5. littera N, vel ad ſignificandum non aliquid humanum, neque ſapientiæ huiuſmodi, ſed Crucis Chriſti ſe annunciaturum myſterium, iuxta illud Apoſtoli Pauli 1. ad Corinth. cap. 1. Prædicamus Chriſtum Ieſum, & hunc Crucifixum. Poſtea Sacerdos ſignat ſe ipſum in fronte, ore, & corde, ad ſignificandum, ſe Crucem Chriſti non erubeſcere, immo velle illam ore fateri, & in corde retinere, vt dicebat Paulus ad Galat. cap. 16. Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini Noſtri Ieſu Chriſti. Vnde legitur apud Danielem cap. 3. Non eſt confuſio confitentibus te; ex Amalario lib. 3. de Eccleſ. off. cap. 18.

Dicitur autem, Iube Domne, & non Domine, quia Sacerdos non abſolutum Dominum, ſed miniſtrum operantem in nomine ſui Domini, & Vicarium ſignificat; & Sacerdos, aut Diaconus ante lectionem Euangelij benedictionem petit, quia nullus prædicare debet, niſi mittatur, vt Apoſt. ad Rom. cap 10. & ad ſignificandum, quod ex ſola diuina reuelatione poteſt haberi Euangelium, & doctrina ſupernaturalis, vt dixit Chriſtus Petro. Matth. cap. 10.

Huius Euangelij lectionis in miſſa perantiqua cõſuetudo eſt, vt patet ex liturgijs omnibus, necnon ex Conc. Laud. cap. 16. Carthaginenſi 4. con. 84. & alijs Concilijs, & dum modò facit dicta quatuor ſigna, dicit: Sequentia ſancti Euangelij, &c. Sequentia hoc loco eſt numeri pluralis, ideſt, ea, quæ ſequuntur in textu Euangeliſtæ, vt Durand. lib. 4. cap. 24. & reſpondetur à Choro, ſeu à Miniſtro: Gloria tibi Domine, hoc eſt, qui capiunt, glorificent Dominum, qui mittit verbum ſalutis, vt dicitur Act. 11. ex Ruperto lib. 1. cap. 26.

Dices, quare in Miſſis ſolemnibus Diaconus ſumit textum Euangelij de Altari?

Reſpondetur ad ſignificandum, quod Apoſtoli de Altari acce-

Digitized by Google

ceperunt Euangelium, cum Chriſti paſſionem prædicantes euãgelizabant, à Iudæis tranſeuntes ad Gentes, vt aduertit Gauant. vbi ſupra: Vel ideo accipit Diaconus librum de Altari, ad ſignificandum, quod Altare in hoc loco denotat Iudæos, à quibus transfertur regnum Dei, & datur genti facienti fructum eius.

Notandum tertiò, quod Anaſtaſius Papa Primus epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ, & habetur cap. Apoſt. de conſecrat. diſt. 1. Anno Domini 898. vt refert Lucas Pinellus in tract. de Miſs. p. 1. cap. 25. mandauit, vt dum Euangelium in Eccleſia legeretur, Sacerdotes, cæterique omnes illud audientes, & præſentes non ſedentes, ſed ſtantes nudato capite audirent, vt patet loc. cit. de conſec. & notauit Durand. lib. 4. c. 24. n. 23. 24. idque fit ad denotandum, quatenus auditores ſunt parati ad operandum quidquid illis ab Euangelio præcipitur, & imponitur, & ad fidem tuendam, & vt ad prælium pro Chriſti fide defendenda promptitudo notetur; Vnde Lucæ c. 22. Qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat illum. Quæ diximus confirmantur Imperatoris conſuetudine, qui Miſſam audiens, dum Euangelium legitur, manu eius armiger enſem euaginatum tenet ad Euangelij nimirum defenſionem, & eandem ob cauſam alij Principes, & nobiles manum ad enſem ponere ſolent, vt refert Serranus p. 1. n. 86. Aliquibus etiam in regionibus pallium, & veſtimenta dimittere ſolent, dum ſimiliter Euangelium legitur, ad denotandum, omnia potius temporalia bona deſerenda eſſe, quam Euangelium, iuxta illud Apoſtolorum dictum apud Matth. cap. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Vel etiam auditur Euangelium capite nudato, ad ſignificandum, quod omnia, quæ ſub velamine, & figura in lege, & Prophetis continebantur, ſunt in Euangelio patefacta; in Chriſti enim paſſione templi velum ſciſſum eſt.

Dices quartò, cur legitur Euangelium ad Aquilonem?

Reſpondetur, quia Aquilo eſt pars ſiniſtra, quæ eſt peccatorum ad inſinuandum Chriſtum Dominum in mundum veniſ-

Digitized by Google

ſe ad vocandum peccatores ad pœnitentiam; iuxta illud Matthæi cap. 9. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

Dices quintò, quare Sacerdos lecto Euangelio deoſculatur librum?

Reſpondet Serranus p.1.n.88.cum Durando,vbi ſupra c. 24. n.52. ad ſignificandum effectum amoris ad Euangelium, qui præcipuè in Sacerdotibus vigere debet. In Miſſis ſolemnibus ſubdiaconus defert librum Sacerdoti oſculandum, qui deinde thurificatur, ad deſignandum, quod Apoſtoli poſt prædicationem ad Chriſtum ſunt reuerſi, cui, & non ſibi cuncta adſcripſerunt, vt ait Gem. cap.18. vel ideo Sacerdos oſculatur librum, vt inſinuet, ſe ex charitate, & amore euangelizaſſe, & quod docuit approbare,& acceptare.

In fine autem Euangelij reſpondetur à Miniſtro, Laus tibi Chriſte, quod etiam dicitur in fine illius partis Paſſionis, quæ legitur in tono Euangelij, præterquam in Paraſceue, quæ Chriſto fuit dies improperij, & non laudis; reſpondet, inquam, Miniſter, laus tibi Chriſte, quaſi dicat ob bonum, & lætum hoc nuncium Euangelij, & ob cæleſtem lucem, qua illuminati ſumus, & ob diuinam doctrinam nobis propoſitam Maieſtati tuæ, Chriſte, gloriam & laudem omnem deferimus.

Non eſt ignorandum, vt refert Durand. lib.4. cap.24. varios fuiſſe ritus reſpondendi in Euangelij fine; quidam enim dicebant Amen,hoc eſt verum, vel fiat. Alij Deo gratias: Alij Benedictus, qui venit in nomine Domini; Sed nos Chriſtum laudamur verbis illis, laus tibi Chriſte; quæ non ſunt antiquiora Burchardo Vuormatthienſe, qui ea refert, & ante eum, nemo, vt Gauant. vbi ſupra p.1.tit.10.littera F. qui Burchardus floruit circa annos 1025.

Digitized by Google

De Credo, ſiue Symbolo. Cap. XIX.

LECTO Euangelio, quando eſt dicendum Symbolum, illud dicitur ex decreto S. Marci, vt Radulphus propoſ. 23. & Platina in vita eiuſdem Marci, & Damaſus Papa confirmauit anno Domini 336. vt affirmat Pinellus lib. 1. de Miſſ. cap. 2. & 15. dicitur inquam, vt per S. Euangelium corde credatur ad iuſtitiam, & per ſymbolum ore fiat confeſſio ad ſalutem, iuxta illud Pauli ad Rom. c. 10. quam iuſtitiam non conſeruabimus, neque æternam conſequemur ſalutem, niſi etiam exterius confiteamur, & profiteamur, quam in corde retinemus, & palam confiteri tenemur, vt æternam vitam conſequi mereamur; ſecundum illud Matthæi cap. 10. Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt.

Dicitur autem Symbolum à ſym, quod eſt ſimul, & bole, quod eſt ſententia, quaſi plurimorum ſententia ſimul conſtituta, vel ſymbolum, quod eſt indicium, ſeu ſignum, ſeu collatio, quia Symbolum Apoſtolorum eſt indicium fidei, eiuſdemque regula, & continet omnes articulos eiuſdem, vt Iſid. lib. 2. de diu. off. cap. 22. & ſimilitudine quadam SS. Patres dictam ſententiam appellauere articulos; ſicuti enim (inquit Cathechiſmus Rom.) corporis membra articulis diſtinguuntur, ita etiam in hac fidei confeſſione quicquid diſtinctè, & ſeparatè ab alio nobis credendum eſt, rectè articulus dicitur.

Dicitur Symbolum, præcipue in omnibus diebus Dominicis per annum, quia in illo habetur articulus Reſurrectionis Chriſti, quæ fuit in die Dominico, vt Innoc. III. lib. 2. c. 51. Item in tribus Miſſis de Natiuitate Domini, vt Micrologus cap. 96. de octaua, omnes enim dies infra octauam pro vna feſtiuitate computantur, vt tradit Rodulphus propoſ. 23. & quia, vt inquit idem

Inno-

Digitized by Google

Innocentius vbi ſup. Octauæ ſignificant reſurrectionē mortuorum, quæ in Symbolo continetur. In Epiphania, in qua celebratur baptiſmatis feſtum, de quo in dicto Symbolo: Confiteor vnum baptiſma. Quod adnotatum fuit ab Innoc. loc. cit. In Cœna Domini; quia ad Euchariſtiam reſpicit illud, Sanctorum communionem, quod Sacramentum tunc à Chriſto Domino fuit inſtitutum. plura vide apud Gauant. in Theſ. Sac. Rit. p. 1. tit. 11.

Sacerdos igitur incipiens dictum Symbolum manet erectus ante medium Altaris manibus extenſis ſurſum eleuatis, quas, poſtquam incæperit, iungit: quia Sacerdos Chriſtum repræſentans erectus manet, ad ſignificandum ſemper Chriſtum eſſe paratum ad ſpiritualia bona nobis largienda, & ſtat ante altaris medium ad inſinuandum Deum non eſſe perſonarum acceptatorem; ſed quantum in ipſo eſt omnibus æqualiter influere; ſtat quoque manibus extenſis, vt ſignificet, quod paratus eſt bona illa ſpiritualia omnibus abundanter donare: ſtat etiam oculis ſurſum eleuatis ad oſtendendum nobis quærenda eſſe, quæ ſunt ſurſum, iuxta illud Apoſtoli ad Coloſſ. cap. 3. Quæ ſurſum ſunt quærite. Tandem poſtquam Symbolum incæpit iungit manus, oſtendens, quod ei ſoli de perceptis bonis gratias agere, & nos humiliare debemus, vt Durand. vbi ſupra cap. 25.

Notandum eſt primò quod antiquitus dicebatur Symbolum minus ad extirpandam hæreſim, vel errorem Orientalium dicentium, Spiritum Sanctum non procedere à Patre & à Filio; ſed à Patre tantum; ideo Romana Eccleſia cantat cum additione, Filioque procedit, facta in conc. Tol. ſub Leone I. ex Baronio anno 447. ſeu in Conc. Rom. à Damaſo, vt probat Durantus lib. 2. cap. 24. circa Symbolum Conſtantinopolitanum, Henrico Imperatore inſtante, Benedictus Papa VIII. hunc Romæ ritum inſtituit ex Bern. cap. 25. de off. Miſs. vt refert Gauant. vbi ſupra.

Dicitur ſimiliter dictum Symbolum ad auferendum errorem

Digitized by Google

Arrianorum aſſerentium, Filium eſſe minorem Patre, & Filium adoptiuum, non naturalem, & eiuſdem ſubſtantiæ. In Symbolo maiori notabiliter fuit addita dictio hæc: Vnum, Iuxta illud Deut. cap. 6. Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt, & Apoſtol. ad Epeſ. cap 4. Vnus eſt Deus, vna fides, vnum Baptiſma.

Notandum eſt ſecundò, quod Apoſtoli antequam ſepararentur abinuicem, quando erant in præcinctu ad prædicandum Euangelium per totum terrarum orbem Concilium quoddam celebrarunt, in quo Symbolum compoſuerunt, vt colligitur ex S. Clem. Rom. epiſt. ad ſacr. frat. Domini, & ex S. Leone epiſt. 96. vt inquit S. Thom. 4. ſententiarum in fine 8. & 12. diſt. & dicunt Ioannes Erius in Enchirid. & Card. Baronius anno 44. n. 13. & alij apud Gauant. loc. cit. quod Symbolum initio Eccleſiæ cantabatur in Miſſa, & Symbolum, quod hoc tempore in illa recitamus, non eſt Apoſtolorum, qui quidem illud condiderunt, quando non audebant propter Iudæorum metum Chriſti fidem confiteri, & propterea occultè, & ſubmiſſa voce dicitur in Prima, & Completorio; ſed illud Conſtantinopolitanũ inſtitutum, & conditũ fuit tempore, quo vigente auctoritate fidei, Chriſtiani Chriſti fidem vllo ſine timore publicè confiteri audebant. Dicitur etiam alta voce dictum Symbolum, vt omnes illud audire, dicere, & adiſcere poſſint, & quoniam, vt inquit Azor. lib. 10. inſtit. moral. cap. 34. Symbolum eſt verbum Euangelicum, quoad ſenſum, ideo ſtando illud audire debemus, ſicut Euangelium, & ſignificat quemadmodum Apoſtoli fidem Sanctam Catholicam, ore, operibus, & morte confeſſi ſunt, ita & nos illorum veſtigia ſequentes, in eadem fide viuere, & mori debemus.

Notandum eſt tandem, quod in recitando dictum Symbolum fuit conſuetudo fidelium in verbis illis: Carnis reſurrectionem, vt ſigno Crucis frontem munirent, illud fortaſſe tranſferendo ad poſtrema verba ſequentia, vt aduertit Ruffinus in expoſ. fidei, & refert Gauant. vbi ſupra.

De

Digitized by Google

De Offertorio. Cap. XX.

SACERDOS poſt ſymbolum, vel, ſi non ſit dicendum, poſt Euangelium dicit, Dominus vobiſcum, & introitum demonſtrat ad aliud officium, dum ſalutat ſuos operarios, vt Amalar. Fortunatus lib. 3. cap. 19. quaſi dicat; niſi Dominus ſit vobiſcum, orare non poſſumus ad ſalutem noſtram, Addit ergo: Oremus, quo docemur, vt ſtabiles ſimus in fide, quam in ſymbolo profeſſi ſumus, vt Stephanus Eduenſis de Sacram. Altaris cap. 22. vel, vt ait Amalarius vbi ſup. precamur, vt voluntarium ſacrificium acceptabile ſit Domino, nec reſpiciatur cum ſacrificio Cain. Dicitur autem Offertorium ex Iſid. lib. 6. Etymol. cap. 19. quaſi ob fertum; fertum enim dicitur oblatio, quæ in Altari offertur; fertum ſiue ferctum genus libi dictum, quod in ſacrificijs vtebatur, vt apud Virg. Eclog. 9. & lib. 7. Aeneid.

Et adorea liba per herbam
Subijciunt epulis.

Vel traxit offertorium nomen ab offerendo, quia tunc oblationes fiunt, vt Innoc. III. lib. 2. cap. 53. vel, vt ait Gemma Anim. lib. 1. cap. 79. eſt offerentium canticum, ſimiliter nominatur offertorium ab offerendo, eo quod tunc pronunciatur, quando Deo incorruptum laudis offerimus ſacrificium, vel illud præparamus, vt Rupert. lib. 2. de diu. off. cap. 2. & Microl. de Eccl. obſ. cap. 10. & Serranus p. 1. Miſſ. n. 106.

Quis autem fuerit auctor Offertorij, ſunt variæ ſententiæ, nam Antonius Democha. tom. 4. cap. 15. refert in Cæleſtinum. Petrus Opmeer. de off. Miſſ. auctorem facit Eutychinianum. Gem. Anim. lib. 1. cap. 88. Sanctum Gregorium, & eundem facit Vualfridus, Strabo cap. 22. Alij denique Adrianum, vt refert Pinellus, vbi ſupra, hoc tamen certum eſt, S. Gregorium poſuiſſe offer-

Digitized by Google

toria in Antiphonario, vt Serran. vbi ſup. n. 108. Significat autē Offertorium opera bona & perfecta, quæ, audita doctrina, Domino ſunt offerenda; ne fides ſine operibus mortua ſit, vt dixit S. Iacobus in epiſt. Can. cap. 2. Ita Gabriel lect. 16. in Can. Miſſ. & Durand. lib. 4. cap. 27. n. 2. & ideo dicitur offertorium poſt ſymbolum ad denotandum non ſufficere fidem ſine operibus. Ordo quidem conueniens, inquit Innoc. III. vbi ſupr. vt poſt prædicationem Euangelij fides in corde, laus in offertorio, fructus in ſacrificio, ad imitationem populi Iſrael hoc fieri, qui oblationes, & vota cum laude Deo offerebant, vt addit Alcuinus de celeb. Miſſ. & eleganter cecinit Hildebertus Cenomanenſis de Miſſa dicens.

Effectum ſpondet Chorus, offertoria cantans,
Tamquam ſi dicat, Credo, fatebor, agam.

& paulo poſt.

Ordo docens, Euangelium præcedere cernis,
Pone finem pandi, dona deinde dari.
Audis, vt credas; & credis, vt hoſtia fias,
Taliter incipimus eſſe, ſumuſque Dei.

Notandum eſt primò, quod quando Sacerdos accipit Patenam cum hoſtia, & calicē cum vino offerens, ſignificat, quomodo Chriſtus Dominus ſe ipſum in ſacrificium illud cruentum præparauit, & magno cordis deſiderio pro ſalute humani generis ſuo Patri voluntariè ſe obtulit, quod patefecit, atque expreſſit in vltima Cœna ſuis charis Apoſtolis, dicens. Deſiderio deſideraui vobiſcum Paſcha manducare, vt apud Luc. cap. 22. ideſt intensè, ac feruidè concupiui hoc Paſcha, videlicet Agnum illum legalem ac præfiguratiuum; ſed propter impletionem eius: quod ille Agnus præfigurauit, ſcilicet propter inſtitutionem Sacramenti nouæ legis, vt exponit Cartuſ. cap. 22. loc. cit.

Notandum eſt ſecundò, nomen hoc Paſcha, multifariam ſumi in Scriptura. Primò enim ſumitur pro tota Hebdomada Azimorum, ſeu ſolemnitatis Paſchalis, vt in Act. Apoſt. cap. 12.

Voluit

Digitized by Google

Voluit Herodes poſt Paſcha Petrum producere populo. Secundò accipitur pro celebritate Paſchali, quæ incipiebat à Veſpere luna. 14. exiſtente, in qua Iudæi veſpere panem omnem fermentatum de ſuis domibus auferebant, & Paſchalem Agnum mãducabant cum panibus azimis, in memoriam Patrum ſuorum Agnum Paſchalem comedentium, quando fuerant egreſſuri de Aegypto, vt exod. cap. 3. Tertiò ſumitur Paſcha pro hora immolationis, & comeſtionis Agni Paſchalis, Erat Paſcha, & Azima poſt biduum, vt apud Marc. cap. 14. Quartò ſumitur pro quocunque cibo, vel pane, quo Iudæi veſcebantur durante feſtiuitate Paſchali, vt Io: cap. 18. Iudæi non introierunt Prætorium, vt manducarent Paſcha, ideſt, Azimos panes. Quintò pro Agno Paſchali. Sextò pro figurato dicti Agni, ideſt, pro Chriſto, de quo Apoſtolus 1. Cor. cap. 3. etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Septimò denique pro feſtiuitate epularum Paſchalium, vnde 2. Paralip. cap. 35. dicitur, non fuit tale Phaſe à diebus Iudicum, quale fecit Ioſias.

Tria igitur ſunt offerenda in ſacrificio Miſſæ, primo ipſæ perſonæ, ſecundo exteriora bona, tertio panis, & vinum, quæ ſunt materia neceſſaria ad conſecrationem, & poſtquam Sacerdos obtulit panem, recitando orationem illam: Suſcipe ſancte Pater, &c. vt offerat vinum, miſcet paululum de aqua ex inſtitutione Alexandri Papæ I. quæ non eſt ſimpliciter neceſſaria de neceſſitate Sacramenti, ſed de neceſſitate præcepti, vt ait Rupert. lib. 2. de diu. off. c. 21. ad ſignificandum vinum aqua mixtum, inſinuare ſanguinem & aquam, quæ de latere Chriſti Domini in Cruce exierunt, vt apud Io: c. 19. Significat etiam populi adunationẽ cũ Chriſto Domino, aquæ enim populos deſignant, vt in Apoc. c. 17. ita Iulius Pap. I. epiſt. ad Epiſc. per Aegyptum, & habetur c. cum omne crimen de conſec. diſt. 2. Commiſcetur itaque aqua vino in Calice, iuxta illud Prouerbiorum cap. 20. Bibite vinum, quod miſcui vobis, & probabiliter creditur, quod Dominus inſtituerit, vt D. Thom. 3. par. quæſt. 77. art. 6. ad ſignificandum diuinitatem, & humanitatem in vna perſona

Digitized by Google

na coniunctas eſſe, intelligantur, vt de conſec. vbi ſupr.

Dices primò quare Sacerdos antequam infundat aquam in Calicem, illam benedicit?

Reſpondet Serranus p.p. n.112. ad ſignificandum adunationem hanc manaſſe ex virtute Crucis,& ex meritis Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod manifeſtè patet in oratione illa, Deus qui humanæ ſubſtantiæ, &c.

Dices ſecundò quare Sacerdos benedicit aquam, & non vinum?

Reſpondeo, quia vinum in hoc loco ſignificat Chriſtum, qui non indiget benedictione; aqua vero, vt diximus, denotat populum, qui in hac vita ſine peccato eſſe non poteſt.

Dices tertiò quare Sacerdos abſcondit ſub Corporale Patenam?

Reſpondeo ad ſignificandam fugam diſcipulorum in Chriſti paſſione; Patena enim, vt alibi diximus, ſignificat inter alia, Cor latum,& amplum,& licet D.Petrus aiebat, Et ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo, vt Matth.cap.16.& S.Thom. dixit, Io:cap.11. Eamus, vt nos moriamur cum illo: Tamen omnes diſcipuli, relicto eo, fugerunt & latuerunt. Verum aliquanta particula Patenæ non abſconditur, ad ſignificandum, quod Beata Virgo,& S.Ioannes non fugerunt, nec latuerunt.

Quatuor ſequentes orationes nempè: Deus, qui humanæ ſubſtantiæ,&c. Offerimus tibi,&c. In ſpiritu humilitatis, & Veni ſanctificator, quibus Hoſtia, & Calix offeruntur & benedicuntur, non fuerunt lectæ ante quingentos annos in Eccleſia Romana, quia neque in Sacramentario Gregorij I. neque in Ordine Romano oratio aliqua reperitur inter offertorium, & orationes, quæ dicuntur ſecretæ, vt probat Cardin. Belar. lib.2. de Miſſa cap.17.

In Miſſis ſolemnibus Subdiaconus, & Diaconus miniſtrant Sacerdoti, tribuentes illi Patenam cum hoſtia, & calicem cum vino aqua mixto, ad inſinuandũ, quod Apoſtoli, qui per prædictos miniſtros ſignificantur, Cænaculum Chriſto Domino, &

Digitized by Google

cætera ad commedendum Paſcha neceſſaria parauerunt, vt Matth. cap. 26. Marci 14. & Luc. 22.

Dices quartò, quid ſignificat Patena cooperta velo, quam Subdiaconus eleuatam ſuſtinet vſque ad orationis Dominicæ finem?

Reſpondeo, quod Patena, quæ initio caret, & fine propter ſui formam ſignificat Diuinitatē, & tenetur dicta Patena cooperta ad ſignificandum diuinitatem nobis abſconditam, atque velatam eſſe exiſtentibus in hoc mundo; cum vero in dicta oratione Dominica dicitur Panem noſtrum, &c. manifeſtatur, ad oſtendendum, quod quando perueniemus ad Panem noſtrum, qui in Cælis eſt, tunc diuinitas, quæ in hoc mundo eſt abſcondita, & velata, manifeſtabitur nobis, & videbimus Deum ſicuti eſt, iuxta illud Ioannis cap. 3. & Apoſtoli 1. Cor. cap. 16. Videmus nunc per ſpeculum in enigmate, tunc verò facie ad faciem.

Dices tandem, quare Sacerdos collocat hoſtiam, & Calicem cum ſigno Crucis in Altari, dum offert illas?

Reſpondeo, quia ſicut Chriſti Domini oblatio facta fuit in Cruce, ſic & Sacerdotis oblatio, quæ in memoriam illius, iuxta Chriſti Domini præceptum fit, cum ſigno Crucis fieri debet, vt Serranus p. p. n. 118.

De Ablutione Manuum. Cap. XXI.

QVAMVIS Sacerdos antequam veſtibus ſe ornaret, manus abluiſſet; tamen iterum manus lauat, non ſolum quia ſacra pollutis manibus tractare dedecet; ſed etiam ad denotandum, quod ampliori indiget ablutione, non tantùm à mortalibus, verum etiam à venialibus, quod optimè à Chriſto Domino Petro fuit indicatum, dicente Io: cap. 13. Qui lotus eſt non indiget, niſi vt pedes lauet, & interim

dum

Digitized by Google

dum Sacerdos lauat manus, recitat pſalmus 25. dicens: Lauabo inter innocentes manus meas, &c. vt ſic magis ac magis mundatus offerat hoſtiam immaculatam, ſanctam, Deoque placentem, Prophetæ Dauid inſtar, qui,quamuis eſſet mundatus,tamen amplius emundari petebat in pſal.50. dicendo. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Lotio igitur iſta,ad litteram, corporalis intelligi poteſt, & ita ſignificat,Sacerdotem ſuam ſe conuerſationem cum innocentibus habere,vt ab illis Deo placita diſcat, aut intelligi poteſt lotio iſta emundatio à peccato, & macula. Antequam autem deueniat Sacerdos ad huiuſcemodi manuum ablutionem, orationem illam aliquantulum inclinatus recitat,nempè: In ſpiritu humilitatis,&c. Tali enim modo diſponitur,vt in ſua oratione à Deo exaudiatur; coram namque Deo gratia humilitate inuenitur, iuxta illud Eccleſ. cap 25. Oratio humiliantis ſe Cælos penetrat, & ſubſequenter ſubdit, Et in animo contrito. Quoniam apud Iſa. cap. vlt. habetur. Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperem Spiritu contritum? & Pſalmiſta in pſalm.vbi ſupra. Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. Dum igitur Sacerdos manus lauat ad cordis munditiam ſe conuertat,vt ſi quid ſordidum agnoſcit, contritione, & voto confeſſionis, affectuque pio erga Deum abluat,& abſtergat,vt Gabriel lect.17. in Can.Miſſ. quæ manuum ablutio ex ceremonia ab initio Eccleſiæ naſcentis fuit vſurpata, vt colligitur ex S.Dionyſio Areopag.de Eccl. Hierar. cap. 3. ex Clem. Rom. contra Apoſtatas cap.11. ex Cyrillo Hieroſolim. Cathech.5. Myſtag. & alijs patribus.

Lauat etiam Sacerdos manus hoſtiam oblaturus, ad ſignificandum,quod conſcientiam lachrymis pœnitentiæ, & compunctionis lauare, & mundare debet, iuxta illud Prophetæ in Pſal. 6. lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis, ſtratum meum rigabo. Chriſti veſtigia ſequeus, qui antequam in ara Crucis Deo Patri ſacrificium offerret, in reſurectione Lazari lachrymas miſeratus effudit, vt apud Io: c. 11. reperitur

quidem

Digitized by Google

quidem frequenter Chriſtum planxiſſe, nunquam autem riſiſſe, in quo leuitas noſtra, & diſſolutio condemnatur.

Lauat denique manus ſacerdos, ne reus ſit corporis, & ſanguinis Domini ſecundum illud: Mundæ ſunt manus meæ à ſanguine huius, & illud Iſaiæ cap.1. Lauamini, & mundi eſtote.

Dices ſecundò cur ſacerdos lauat manus ad dexterum cornu altaris?

Reſpondeo cum Durand. vbi ſup. cap. 28. quia dextera ſignificat proſperitatem, ſiniſtra verò aduerſitatem; quia igitur pluries peccatur in proſperis, quàm in aduerſis iuxta Pſal. 90. Cadent à latere tuo, ſcilicet ſiniſtro, mille, & decem millia à dextris tuis, meritò magis ad dexteram, quàm ad ſiniſtram eſt lauandum.

De inclinatione ſacerdotis, & oſculatione altaris. Cap. XXII.

LOTIS manibus ſacerdos ſe inclinans, corporiſque poſitione ſe ipſum humilians ad implorandam omnium Sanctorum interceſſionem, & ad tantum myſterium, ſe indignum recognoſcens, orationem illam pronuntians, dicit: Suſcipe Sancta Trinitas, &c. vt dignus reddatur ad ſacrificium immolandum, quæ oratio deſumpta eſt ex oratione Azariæ apud Danielem cap. 3. vt Pererius lib. 3. comment. in Dan. fol. 82. Cardinalis verò Belarminus lib. 2. de miſſ. cap. 17. & Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 34. dub. 10. probant deſumpta eſſe ex ordine Gallicano, ſicut & illæ aliæ quatuor orationes, Deus, qui humanæ, &c. & dum ſacerdos ſe inclinat, inſinuat Chriſti Domini humilitatem, qua ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis, vt Apoſtolus ad Philip. cap. 2. Ita ſentiunt Innoc. III. lib. 2. cap. eodem, & Durandus lib. 4. cap. 32. num. 1.

Etiam denotare poteſt huiuſmodi ſacerdotis inclinatio, inclinationem Chriſti; nam ad pedes diſcipulorum poſt Sacramentum in vltima cæna traditum, orauit ad Patrem. Tandem inſinuare poteſt, quod per ſignum ſenſibile foris exhibitum, oſtendat interiorem humilitatem, qua ſupplicans, animo veſtiri debet, vt à Deo ſua oratione exaudiatur, qui humilium non deſpicit affectum; imò tanta eſt Dei clementia, vt ipſa quoque eorum deſideria citò exaudiat, iuxta Pſal. 9. Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus. Sacerdos deinde ſe erigens deoſculatur altare, quod denotat, per paſſionem Chriſti populum eſſe liberatum, Deoq; Patri reconciliatum, vnde ſcribens Apoſtolus ad Epheſ. cap. 3. ait, faciens pacem, vt reconciliet ambos Deo in vno corpore.

De Orate Fratres. Cap. XXIII.

SACERDOS dicta oratione, Suſcipe Sancta Trinitas, &c. manibus hinc inde extenſis, & deoſculato altare, vertit ſe ad populum dicens: Orate fratres, vtrumque ſexum comprehendens, quia ſecundum Apoſtolum ad Galatas cap. 3. Non eſt maſculus, neque fœmina, omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto, & non præſumens ſacerdos poſſe ſolus tantum myſterium exequi, monet populum, dum dicit, Orate fratres, ad ſignificandum, quod Chriſtus Dominus diſcipulos docuit, dicens apud Lucam cap. 22. Orate; ne intretis in tentationem; dicit enim Innoc. III. lib. 2. de myſt. miſſ. Nobis eſſe orandum pro inuicem, vt ſaluemur, ſicut inquit Apoſtolus: Orate pro inuicem, vt ſaluemini.

Orate fratres in miſſa dicēdum, inquit Radulphus propoſ. 23. Leonem Papam inſtituiſſe; ſed de eo meminiſſe Sotherem de conſec. diſt. 1. & Chryſoſtomum hom. 10. in 2. epiſt. ad Cor. vt notat Stephanus Durantus lib. 2. de rit. cap. 29. Reliqua cum ſi-

Digitized by Google

lentio dicuntur, & cum paratur conſecratio; Sacerdos tacitè orare debet, vt docet S.Clemens lib 8. conſtit. Apoſt. cap.12. Hæc eadem deprecatio, Orate fratres, reperitur, vt refert Serranus vbi ſupra par.1.nu.141.in liturgijs S.Marci, & S.Iacobi, non quidem ſub his eiſdem verbis, ſed ſub alijs, videlicet: Orate pro offerentibus, vt ſeruet præſentem Sacerdotem, qui eam offert, Dominum Deum ſupplices imploremus. Itaque quamuis illum inſtituerit Leo I. ſub verbis, quibus modo fit; quoad ſubſtantiam tamen, vel ſenſum Apoſtoli tradiderunt, vt dixit Durantus, vbi ſupra.

Monitisque itaque aſtātibus à Sacerdote ad orandum, vt pro ſe orent, ita ad populum ſe vertit, vt perfectum conficiat circulum, iuxta Pſalmum 26. Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis; & iterum in Pſal.25. Circumdabo altare tuum Domine,&c. ad inſinuandum, non ſolum ſe infirmitate circumdatum, ac propterea indigere oratione, tum Eccleſiæ, tum circumſtantium, verum etiam ad ſignificandum ſacrificium illud Miſſæ incruentum, offerre Deo nomine totius Eccleſiæ,& pro tota Eccleſia, totoque terrarum orbe diffuſo. Sacerdotes etiam Hebræorum quum hoſtias immolarēt, altare circumire, vel circumfacere ſolebant, iuxta pſalmos ſupra citatos, & idem faciebant Sacerdotes Gentilium, vt ſcribit Mar. Cato de re ruſt.inſtit 141.

Dices, quid ſignificat circulatio iſta?

Reſpondet S. Auguſtinus in poſtillatione Pſal. 26 citati, id fieri ad ſimilitudinem militis, necubi ſit aditus hoſtis, vt circumaſpiciat, & dum aſtantes orant, & orat ipſe Sacerdos tot orationes ſecretas adiungendo, quot fuerunt collectæ ante epiſtolam recitatæ, dum igitur dicit: Orate fratres; idem eſt, ac ſi diceret: Oro vos fratres, orate pro me, & ego pro vobis, vt mecum pariter, vtrunque ſacrificium ſit Deo acceptum, & ideo reſpondetur à Miniſtro, ſeu à circumſtantibus: Suſcipiat Deus ſacrificium de manibus tuis, &c. Paulo diuerſam huiuſmodi partem habet Remigius Antiſiodor. in expoſit. Miſſ. hæc eadem

Digitized by Google

apud Durand. reperitur lib. 4. cap. 32. Poſtea Sacerdos dicit orationem, quam intermiſerat ab Offertorio citra, quando dixit, Oremus, ad ſignificandum, quod Chriſtus Dominus iterum redijt Hieroſolymam ad domum orationis, quam ad tempus deſeruerat, quando in Ephren ſe contulerat.

De Oratione, quæ dicitur Secreta. Cap. XXIV.

POSTQVAM Sacerdos dixit: Orate fratres, & tanquam imperfectus deprecatus eſt aliorum orationibus, & auxilio indigens, dicit ſecretò, & ſub ſilentio orationem, quæ ſecreta appellatur, ad ſignificandum, quemadmodum Chriſtus Dominus, tempore paſſionis appropinquante, ſecretè in horto orauit ad Patrem, vt apud Matth. cap.26.ita Innoc.III.lib.2.de inſtit.Miſſ.cap.60.vel ad inſinuandum Chriſtum Dominum nõ in palam ambulaſſe apud Iudæos; ſed in regionem ſe contuliſſe iuxta deſertum in Ciuitatem, quæ dicitur Ephren,& vt tacuit à prædicatione,& miraculorum operatione, vt inquit Ioannes cap.11. dicitur etiam à quibuſdam hæc oratio ſecretella,ad differentiam maioris ſecretæ,vide Durandum vbi ſupra cap.32.

Notandum eſt,multas eſſe cauſſas,vt notat Gauant. vbi ſupra tit.16.littera G. cur in Miſſa multa dicuntur ſecretò; Prima eſt, quia ſecretum myſterium eſt, ita Hugo Vict.erudit.Theolog. in Spec. Eccleſ. cap.7. Secundo, quia ſignificatur in hoc ſacrificio latere ſacrificia antiqua, vt Amalar.lib.3. cap.19. Tertia è contra hoc Sacrificium latuiſſe in antiquis, ex Gem. lib. 1. cap.40. Quarta ſilentium Sacerdotis Chriſti latibulum, vt Innocent.III. lib.2.cap.54. Quinta cauſa eſt,quia in Chriſti paſſione diſcipuli tantum occultè confitebantur Chriſtum; ita S.Thom.3.p.q.83. art. 4. ad 6. Sexta, vt videatur Sacerdos loqui cum Deo, quo

cum

Digitized by Google

cum corde loquimur clamantes magis, quam ore. Septima, ne populus tædio afficiatur, neque Sacerdos voce deficiat propter clamorem longum. Gem. lib. 1. cap. 103. Octaua denique ne verba ipſa aſſiduitate aurium vileſcāt, Alcuinus de celebr. Miſſ. lege Gauant. par. 1. tit. 6. littera G. Orat igitur Sacerdos in ſilentio, vt deuotius oret, & ſilentium denotat, quod Dominus habuit in ſua paſſione, quia tāquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum, vt prophetauit Iſaias cap. 57. quem Chriſti ſilentium imitati ſunt Martyres, de quibus Eccleſia ita canit.

Cæduntur gladijs more bidentium,
Non murmur reſonat, non querimonia

& in Martyrum perſona dicebat Propheta Dauid in Pſalm. 43. Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.

Tandem in fine vltimæ orationis ſecretæ Sacerdos vocē exaltat intelligibiliter, dicens: Per omnia ſæcula ſæculorum; ad excitandum deſiderium aſtantium, vt illa conſequi exoptent, quæ ipſe ſecretò à Domino concedi eſt deprecatus; ita Gabr. lect. 17. in Can. Miſſ. & ideo reſpondet in perſona populi Miniſter, vel Chorus: Amen; hoc eſt fiat, quod petiſti, & notandum eſt, præfata verba: Per omnia ſæcula ſæculorum, non eſſe initium Præfationis, ſi propriè loquamur, ſed finem orationū, & principium Præfationis, aſſerit Innoc. III. lib. 2. cap. 61. Vt oſtendatur, inquit, ille Chriſtus, lapis angularis, qui fecit vtraque vnum, vt ait Apoſt. ad Epheſ. cap. 2.

Dices, quare Sacerdos dicturus: Per omnia ſæcula ſæculorum: deponit manus ſuper altare?

Reſpondeo ad inſinuandum, quod omnem cogitatum temporalem deponit, illudque in Deo ponit, iuxta Pſalmiſtæ conſilium: Pone in Domino cogitatum tuum, & ipſe te enutriet, & ſe totaliter Deo committit, tota mente immolationi intendens, & ab hoc loco vſque ad Canonis finem, pia Mater Eccleſia propinquius ante oculos paſſionis myſterium repræſentat.

De

De Præſationibus. Cap. XXV.

SACERDOS alta voce dicto, Per omnia ſæcula ſæculorum, accedit ad Præfationem, quæ incipit in ſalutatione illa: Dominus Vobiſcum, qua populo diuini auxilij ad altiſſima huius Sacramenti myſteria aſſiſtentiam exoptat, non curioſè diſcutienda, ſed captiuando intellectum in fidei obſequium, cordis humilitate ſuſcipienda, & veneranda, vt Gabriel lect. 18. in Can. Miſſ. Accedit, inquam, Sacerdos ad Præfationem, hoc eſt Prælocutionem, ſeu Præparationem, & excitationem populi ad illam actionem, in qua propriè Miſſæ ſacrificium conſiſtit, vt Belarmin. lib. 2. de Miſſ. cap. 17. & Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 34. dub. 11. & dicitur Præfatio, ideſt Prælocutio; qua fit præparatio, vel diſpoſitio ad duo, ſcilicet ad hoſtiæ conſecrationem, vel ad hoſtiæ conſecratę aſſumptionem. Nihil aliud eſt Præfatio, quam quædam gratiarum actio, diuinæque laudis confeſſio, & cantatur ante Altare, & à ſolo Sacerdote, ad repræſentandum illud, quod legitur in Apocal. cap. 14. Et cantabant quaſi canticum nouum ante ſedem, & nemo poterat dicere canticum niſi, &c.

Præfationes originem habent ab Eccleſiæ primordijs, vt Clemens lib. 8. conſt. Apoſt. cap. 16. quis autem fuerit auctor illarum, Honorius in Gem. lib. 1. cap. 89. auctores facit Dionyſium, & Leonem Papam. Sed Alcuinus, vbi ſupra, Præfationem communem refert in Gelaſium, aut cantari iuſſit, vt ait Gem. loc. cit. aut forte limauit, quæ tamen habetur in liturgia S. Petri, vt refert Gauant. par. 1. tit. 12. lit. Z.

Notandum eſt primo, quod Pelagius Papa II. nouem Præfationes, vt antiquas, numerat, & approbat in epiſt. 1. videlicet Paſchalem, de Aſcenſione Domini, de Pentecoſte, de Natiuitate Domini, de Epiphania, de Apoſtolis, de Sancta Trinitate,

de

de Cruce, de Ieiunio quadrageſimali. Sigeber. de Palagio ad annos Domini 571. His teſte Radulpho propoſ. 28. Vrbanus II. in Conc. Placẽtiæ celebrato anno 1095. ex Baron. vel ex Belarm. lib. 2. de Miſſ. cap. 17. 1080. addidit Præfationem decimam, quæ eſt de Beata Virgine.

Notandum ſecundo, quod Angeli omnes in Præfatione nominantur implicitè hoc verbo Virtutes, & ratio eſt, quia Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ, vt Dauid in Pſal. 23. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus Virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ; ita Alcuinus loc. cit. & nominantur Angeli paulo ante conſecrationem, quia Miſſæ ſacrificio adeſſe creduntur.

Reſpondet populus: Et cum Spiritu tuo, optans; vt quod non niſi operatione, & gratia fieri poteſt, captiuando nimirum intellectum in fidei obſequium; hortatur deinde Sacerdos populum ad proficiſcendum ad altiora, dicens: Surſum corda, ſupple, leuate, vt inquit S. Auguſt. in pſal. 148. ne putreſcant in terra; & vt ait. D. Thom. in 4. ſentent. Sacerdos ad tria populum hortatur. Primo ad iſtam mẽtis eleuationem in Deum, dum dicit: Surſum corda, imitatus Apoſtolum ad Coloſ. cap. 3. dicentem, Quæ ſurſum ſunt, quærite, non quæ ſuper terram, vt noſtra corda ſint, vbi eſt theſaurus: Matth. cap. 6. cui hortationi reſpondetur: Habemus ad Dominum, ſcilicet corda ſurſum, ne improperari poſſit, quod dicit Iſaias cap. 29. Populus hic labijs me honorat, cor autem eius longe eſt à me. Secundo Sacerdos hortatur populum ad gratiarum exhibitionem, dicens: Gratias agamus Domino Deo noſtro; non quod Deus noſtra gratiarum actione opus habeat, vt ait Chryſoſtomus hom. 26. in Geneſi; ſed, vt quidquid lucri eſt, id ipſum ad nos iterum redeat, cui reſpondetur: Dignum & iuſtum eſt; dignum nimirum quantum ad Deum, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, & iuſtum quidem reſpectu noſtri, quia nos populus eius, & oues paſcuæ eius iuxta pſal. 94. deinde illud idem aſſerit Sacerdos dicens: Vere dignum, & iuſtum eſt, &c. Tertio ſubdit gratiarum ſolutionem, dum dicit: Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere: Sẽper, quia Dei Maieſtas

Digitized by Google

ſtas eſt æterna,& vbique,quia illius immenſitas eſt vbique, am-
biens omnia , iuxta Pſal. 102. In omni loco dominationis eius ,
benedic anima mea Domino . Deinde ſubiungit Sacerdos: Per
Chriſtum Dominum noſtrum , tanquam per mediatorem Re-
demptorem & noſtrum patronum , deinde ſequitur : Per quem
Maieſtatem tuam , &c. vide D. Gregor. lib. 4. dialog. cap. 5. &
quia duas rationales creaturas creauit Deus , nimirum Angeli-
cam, & humanam, ideo oſtendens,Deum non ſolum ab illa,ſed
etiam ab iſta eſſe laudandum, ideo humili, & ſupplici confeſſio-
ne canticum dicit, Sanctus,Sanctus,Sanctus.

De Sanctus. Cap. XXVI.

SPEM habens Sacerdos Angelis,& Archange-
lis ſociari, ſtatim poſt Præfationem in nomine
Eccleſiæ Angelico cantui ſe conformat,dicens
illud Triſagion,ſeu Angelicum hymnum,quem
Victorialem appellat liturgia S. Petri; Sanctus
verò Iacobus,& Diuus Marcus in liturgijs triũ-
phalem vocant, S.Germanus in Theoria, Cherubicum, Alcui-
nus Primæuum appellant,quod nomen denotat miſericordiam,
vt patet in Pſal.31.Vbi habetur,Pro hac orabit ad te omnis Sã-
ctus, in hebræa voce,in loco Sanctus eſt Chaſid,quod ſignificat
miſericordiam,vt vertit Hieronymus,& refert Toletus in expo-
ſit.dicti pſalmi,ſerm.8. Secundo ſignificat Sanctum,& Deo gra-
tum iuxta pſalmum 4. Quoniam mirificauit Dominus Sanctum
ſuum; ſignificat etiam gratia plenum; vt felix, ſed hic intelligi-
tur Sancta Trinitas, dummodo redupplicetur vox Sanctus; ſub-
ditur verò in ſingulari Dominus propter vnitatem eſſentiæ in
omnibus tribus perſonis repertam, & licet Sanctus ſit Pater,
Sanctus ſit Filius, Sanctus ſit Spiritus ſanctus, non tamen ſunt
tres Sancti; ſed Vnus eſt Sanctus, ſicut & Vnus Dominus, Vnus
Deus, Vnus increatus,& Vnus immenſus,vt tenet fides Catho-
lica,

Digitized by Google

lica; & docet S. Athanaſius in Symbolo fidei, & S. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 18. & Patres omnes communiter: Hymnus iſte partim Angelorum, & partim hominum verba complectitur; quoad partem Angelorum legit Iſaias cap. 16. quod Seraphim clamabant alter ad alterum, & dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius. Quod autem pertinet ad partem hominum, legitur apud Matth. cap. 21. & Marc. cap. 11. quod, qui præibant, & qui ſequebantur, clamabant dicentes: Oſanna filio Dauid, Benedictus, qui venit in nomine Domini, & eſt cantus, quem pueri cantauerunt in die Palmarum in ſolemni Chriſti ingreſſu in Hieroſolymam. Dicitur Pater Sanctus, dicente Filio: Pater ſanctifica eos in veritate, quos dediſti mihi, quia tu Sanctus es; Dicitur Filius Sanctus, proteſtante Angelo, quod naſcitur, inquit, ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei; Dicitur tandem ſanctus Spiritus Sanctus, Chriſto dicente: Accipite Spiritum ſanctum, vt Ioan. cap. 20. Dicitur quoque Dominus Deus Sabaoth numeri pluralis, & generis fœminini, interpetratur militiarum, vel exercituum, videlicet Angelorum, & hominum, reſpectu quorum terribilis eſt, vt caſtrorum acies ordinata, vt in Cant. cant. cap. 6.

Quamuis verò vulgò huius hymni Sanctus, Sanctus, &c. feratur auctor Sanctus Xyſtus, tamen ante dictum Pontificem erat in vſu in liturgijs Sanctorum Petri, Iacobi, & Marci, & meminit Clemens lib. 8. conſtit. cap. 16.

Benedictus, qui venit, &c. addidit S. Ignatius, vt docet Remigius Antiſiodorenſis in expoſit. Miſſ.

Oſanna ab antiquis temporibus ex ordine Romano, & Concilium Varenſe can. 6. ſtatuit, vt diceretur in omnibus Miſſis, etiam defunctorum, vt refert Gauant. p. p. tit. 12.

Notandum eſt, quod vox Oſanna, vt ait Gabriel lect. 19. in Can. Miſſ. ex auctoritate Remigij componitur à Verbo Hoſi, quod eſt Salua, & à voce anna, quæ eſt aduerbium, vel interiectio precandi, ideſt, quæſo; vel ſecundum Nicolaum de

Digitized by Google

Lyra in differentijs Scripturæ ſacræ, componitur à Verbo hoſſa, quod ſignificat protegere, & à nomine anna, quod idem eſt, ac gratioſus, aut donans, ſiue pius, vel miſericors, & duplicatur hæc vox Oſanna, vel propter duplicem ſtolam, ſeu gloriam Corporis, videlicet & animæ nobis in Cælis promiſſam, vel vt petamus à Deo, quod nos ſaluet à duplici miſeria, puta culpæ per gratiam, & à miſeria pœnæ per gloriam, vt D. Thom. 4. ſentent. diſtinct. 12. & docet Gabriel vbi ſupra; & dum Sacerdos dicit: Benedictus, qui venit in nomine Domini, gratias ſpecialiter agit pro beneficio Redemptionis; quia enim neceſſarium eſt ad æternam ſalutem incarnationis myſteriũ confiteri: bene ſubiungitur: Benedictus, qui venit in nomine Domini, de hoc enim dicit filius: Ego, inquit, veni in nomine Patris: Ioan. cap 5. & quando dicit Sacerdos, Benedictus, qui venit, &c. Sanctæ Crucis ſigno ſe ſignat, & nos eodem munire debemus, ad ſignificandum, quia Chriſtus per crucem triumphauit, & nos triũphare facit, tũc enim clamauerunt filij Iſrael: Benedictus, qui venit in nomine Domini, quando Chriſtus venit Ieroſolymam. Secundo ad ſignificandum, quod ſolemnis ille Chriſti in illam ciuitatem introitus non erat ad regnum ſuſcipiendum, neque ad temporalem honorem iuxta hymnum Epiphaniæ.

Non eripit mortalia,
Qui regna dat cæleſtia.

Sed erat magnificus ille ingreſſus breui, & quãtocius ad perferendum durum Crucis patibulum, & ſupplicium pro humani generis reparatione. Melius tamen huius vocis ſignificationem petes ex Sancte Pagnino.

Non eſt ommittendum, quod Sacerdos, quia Deus Angelorum, hominumque exercitus diſponit, propterea ſubdit: Pleni ſunt Cæli, & terra gloria tua, quæ Cælum, & terram implet, cum taliter ſit vbique, vt per ipſum omnia ſubſiſtant, omnia in ſe viuant, in ſe omnia moueantur, & omnia in illo ſint, ac omnia ſuo adiutorio indigeant, vnde ad illum Sacerdos confugit, dicens: Oſanna, hoc eſt, ſalus eſto mea, non ſolum in terra, ſed,

&in

Digitized by Google

& in excelſis, vt iuſti edificentur in ruina Angelorum, & numerus impleatur, qui cadente Lucifero, erat minoratus, vt Gloſ. ordin. in cap. 11. Marc. Cæli namque pleni ſunt gloria, re; terra vero, ſpe. Lege Durandum in rat. lib. 4. cap. 34. nu. 2.

Tandem vox hæc Oſanna (vt inquit Ioan. Maria Venatus ſuper Euangelijs tom. 4. fol. 248.) penes nos remanſit in Eccleſia tam Græca, quam Latina ex Hebraico fonte deriuata, valida plurimum ad concitandum animum, & idem ſonat, ac ſi dicamus eya, age, ſalua nos, vel obſecro (vt ſupra diximus) ſalua nos. Plura vide apud eundem Venatum loc. cit.

* * *

DE SACROSANCTI Canonis Miſſæ Expoſitione.

LIBER TERTIVS.

De varijs Canonis nominibus, eiusque Antiquitate. Cap. I.

PERVENIMVS tandem, fauente Deo, ad hanc principalem ſacrificij Miſſæ partem, quæ varijs nominibus à ſummis Pontificibus, ac Sanctorum Patribus appellata fuit. Primo namque à S. Gregorio nuncupatur Canon, ideſt inſtitutio, vel regula ad Euchariſtiæ conſecrationem ordinata, regulariter namque Chriſtus Dominus verus Sacerdos in eo repræſentatur; ita lib. 11. epiſt. 16. Idem S. Pontifex lib. 7. epiſt. 63. Precem appellauit. Diuus autem Ambroſius in epiſt. ad Timoth. cap. 2. Regulam Eccleſiaſticam nominat, eò quod in dicto Canone legitima, & regularis Euchariſtiæ Sacramenti confectio reperitur, vt inquiunt Vualfrid. de reb. Eccl. cap 22. & Microlog. de Eccl. obſer. cap. 12. Sanctus verò Optatus Milleuitanus lib. 2. contra Parmen. Secretum vocat: Baſilius quidem lib. de Spiritu ſancto cap. 27. Ordinem precum denominat: A Dionyſio vocatur Actio, auctore Strabone de reb. Eccl. cap. 22. tum quia in illo Sacratiſſimum Chriſti Domini myſterium peragitur; tum quia in ea actione legitimus reperitur ordo, & regula fixa, & ſtabilis ad Sacramenta conficienda, vt dictum eſt ſupra, tum quia ibi ſactio noſtra agitur coram Summo Iudice Chriſto Deo per Sacerdotem, tanquam per intermedium nuntium inter Sponſum, & Sponſam, inter Chriſtum Dominum, & Eccleſiam, vt Serran.

par. 2.

Digitized by Google

par.2.nu.14. Dicitur etiam legitimum, vt colligitur ex Optato Mileuit. loc.cit. à Stephano Duranto lib.2.de rit.Eccl.cap.32. nu.2. Vocatur etiam Secreta, qui Secretiſſima fidei myſteria repræſentat, vel quia ſecretò, & ſub ſilentio à Sacerdote recitatur, vt Gabr.lec.15.in Can.Miſſ. Dicitur denique Sacrificium, quia in Canone offertur Deo Patri ſummum, ſummeque placabile Sacrificium, nimirum Vnigenitus eius Filius, & Saluator noſter Chriſtus Ieſus ſub panis, & vini ſpeciebus occultatus, vt ex Breuiario Roman.in off. S. Andreæ Apoſtoli, lege Belar. lib. 1. de Miſſ.cap.15.

Quoad antiquitatem, ait Sancez diſput. 83. ſect. 2. §. 2. ab hinc annis 800. nihil Canoni additum fuiſſe, quod eſt iuxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 4. vbi ait Eccleſiam Catholicam Sacrũ Canonem multis ante ſæculis inſtituiſſe, & quidem ordine Romano eſt antiquior, in quo reperitur dictus Canon, vti iam vſitatus, immo in liturgia S.Petri totus adeſt, ſed partim auctus ſaltem Sanctorum nominibus poſt obitum S. Petri, & Cardinalis Bellarminus lib.2.de Miſſ.cap.12.inquit, Canonem antiquiorem eſſe omni memoria, quoniam ibi nulla fit Confeſſorum mentio, & cap.20.probat totum Canonem ante Concilium Macumziacum fuiſſe finctum, in quo de Confeſſorum feſtis fit memoria, & Innoc.III. lib.3. cap. 10. putat eundem Canonem ante S. Silueſtrum fuiſſe finitum, & Lucas Pinellus in tract. de Miſſ. par.1.cap.15. refert Iſidorum in 1.offic. aſſerentem Canonem à Principe Apoſtolorum Petro initium habuiſſe, & poſtea ab alijs Pontificibus fuiſſe auctum, & vltima verba addita à S. Gregorio fuerunt: Dieſque noſtros in tua pace diſponas, & ſicut verè à pluribus fuit compoſitus ex Domini verbis, & Apoſtolorum traditionibus, & Sanctorum Pontificum conſtitutionibus, iuxta Concil.Trident. vbi ſupra, ita pars eiuſdem altera antiquior reperitur.

Digitized by Google

De Inſtitutione Canonis. Cap. II.

QVIS autem inſtituerit Canonem, & quando inſtitutus, non omnino certò conſtat; nam Vualfridus de reb. Eccl. cap.22. fatetur ignorare, quis fuerit Auctor. Sed Gregorius I. lib.7. epiſt.63. aſſerit Scholaſticum compoſuiſſe Canonem, qui Scholaſticus à multis putatur eſſe Gelaſius Papa propter doctrinæ claritatem; ita Innoc.III. lib.3. cap.10. ex Honor. in Gemma an. lib.1. cap 90. & à quibuſdam alijs putatur Muſæus Maſſilienſis, vt refert Io. Serran. par.2. Miſſ. nu.16. de quo dubitat Panerius in liturgijs, vt inquit Gauantus vbi ſupra. Alij Victorianum Voconium Mauritaniæ Epiſcopum auctorem faciunt; ſed Vigilius Papa, qui per annos 49. Gregorium I. præceſſit, ſcriptum reliquit in epiſt.2. quæ eſt ad Eutherium, Canonem haberi ex Apoſtolicis traditionibus, vt colligitur ex Clemente Romano, Dionyſio Areopagita, Cypriano, Ambroſio, Auguſtino, & alijs Patribus Canonis expoſitoribus.

De Canonis expoſitione. Cap. III.

FINITO igitur hymno Triſagio, ſtatim Sacerdos extendens, & iungens manus ad Cælum, oculos extollens, & ſtatim demittens, profundè inclinatus ante Altare, deuote dicit. Te igitur Clementiſſime Pater. Notandum hic eſt, non ſine myſterio factum eſſe, vt dicunt Innocent.III. lib.3. de Miſſ. cap.2. & Gabriel. lect.20. in Can. Miſſ. vt huius tam principalis partis littera prima ſit.

T

Et forte diuina prouidentia factum eſt, licet non fuerit induſtria

procu-

procuratum, vt à dicta littera T. Canon inciperet, quæ hebraicè Thau, & in ſui forma ſignum, & myſterium Sanctæ Crucis oſtendit, & exprimit, dicente Domino per Ezechielem cap. 9. Signa Thau ſuper frontes virorum dolentium, & gementium: quoniam per Chriſti paſſionem hęc omnia in Cruce fuerunt impleta; hoc etiam Thau fuit ſignum, quo in Apoc. cap. 7. leguntur ſignati in frontibus ſuis electi ſerui Dei, priuſquam nocumenta inferrentur terræ, & mari. Similiter figuram habuit huiuſmodi littera T. ſigni, in quo Moyſes ſerpentem æneum in deſerto ſuſpendit, vt vulnerati à venenatorum ſerpentum morſibus illum aſpicientes ſanarentur, vt legitur Num. cap. 7. Ponitur igitur hæc littera T in Canonis initio, vt recordetur celebrans, in huius figuræ ſigno Chriſtum Dominum pro noſtra ſalute fuiſſe poſitum in Cruce, hæc omnia in illo fuiſſe impleta, & efficaciam habere ad reparationem humani generis. Continuatur finis diuinæ laudis cum prima oratione Canonis, quam compoſuit S. Clemens Romanus, vt inquit Radulphus de Can. obſer. propoſ. vlt.

Dices primo, quid ſignificat illa Sacerdotis inclinatio in principio Canonis?

Reſpondeo primo ſignificare Chriſti humilitatem ad paſſionem, ſicut enim, ait Apoſtolus ad Philip. cap. 2. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis. Secundo inſinuare reuerentiam Sacerdotis ad Crucis Myſterium, quod iam propius commemorat, ita Durand. in Rat. lib. 4. cap. 36. nu. 5. & 6. Tertio denotare, quod Petrus inclinauit ſe, dum proſpexit in monumento. vide D. Thom. 3. part. q. 83. art. 5. ad 3.

Dices ſecundo, quare Sacerdos in principio Canonis precatur Patrem per Ieſum Chriſtum Filium eius?

Reſpondeo, vt exaudiatur, quia, vt ait Chriſtus Dominus apud Ioan. cap. 14. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; & dum Sacerdos dicit: Te igitur clementiſſime Pater, alloquitur Deum tanquam præſentem, & proſequitur:

Per

Digitized by Google

Per Ieſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum; ad hoc, inquam, vt orationes noſtrę ſint impetratoriæ ad Patrem per Filium, ſunt dirigendæ, cum filius ſit Mediator inter Patrem, & homines, vt ad Timoth. cap.2. Apoſtolus ait de Chriſto: Mediator Dei, & hominum: immo eſt Aduocatus noſter, inquit enim Ioan.cap.2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum. Ieſus autem ſecundum tria idiomata principalia, tria habet nomina, vt Iſido. lib.7. Ethim, nam in Græco dicitur Soter, in Hebræo Ieſus, & in Latino Saluator, & in veteri teſtamento tres Saluatores hoc nomine Ieſu ſunt reperti; Primus dictus eſt Ieſus, ſiue Ioſue propter prœliorum potentiam: Secundus dictus eſt Ieſus Sidrach propter ſcientiam, & doctrinam, quia Eccleſiaſticum compoſuit: Tertius vocatus eſt Ieſus Iſodech propter bonitatem, & hic fuit Sacerdos: Noſter igitur Ieſus, ſiue Saluator, his tribus modis ſaluauit, potentia nimirum, ſcientia, & bonitate; plura de nomine Ieſu, vide apud Palanterium ſuper Hymn. Ieſu noſtra Redemptio fol.193. & licet Canon dicatur actio propter ſacra myſteria, quæ in eo aguntur, vt ſupra diximus, etiam pars quædam eiuſdem dicitur: Infra actionem; quia recitatur infra actionem, ex qua propriè ſacrificium conſtat, vt Azor. vbi ſupra.

Notandum eſt, quod Canon tres cōtinet orationes ante conſecrationem, & totidem poſt, ante fit mentio Sanctorum, Cæleſtis patriæ ciuium, quorum auxilium implorat Sacerdos, ſed poſt conſecrationem fit defunctorum memoria, pro quibus ſacrificium offertur.

Dices tertio, cur Canon dicitur ſub ſilentio, & ſecretè?

Reſpondetur duabus de cauſis; quarum prima eſt, quia Chriſtus ad ſui corporis conſecrationem venturus, ſecretè, & ſolus orauit, ab hora Cœnæ vſque dum ſuſpenſus eſt in Cruce, idcirco, poſt quam fuit honorificè receptus, abijt, & ſe abſcondit, non dum enim hora eius aduenerat, vt legitur apud Ioan. cap. 12. Cum igitur repræſentet Chriſti latibulum ſecretum ſilentium; debet tunc Sacerdos cordis cubiculum ingredi, & ſenſuum corporis

poris oſtio clauſo, Patrem Deum orare, qui potius cordis clamorem, quam vocem exaudit, vnde Anna Eccleſiæ typus gerens, non voce clamoſa, ſed deuotione tacita obtinuit, quod petijt, eò quod ſuo in corde loquebatur, vt 1.Reg.cap.1. Vnde & Moyſi dixit Deus, Quid clamas ad me? cum tamen ipſe taceret. Dicitur ſecundo in ſecreto Canon,ne ſacroſancta illius verba vileſcant; refert enim Durand.vbi ſup.cap.33.quod cum antiquitus Canon voce alta diceretur,quaſi nullus reperiebatur illum ignorans, & ſic vbique recitabatur, non ſine iniuria,& irreuerentia tantorum verborum.In primis igitur Sacerdos beneuolentiam Dei captat, dicens. Te igitur Clementiſſime Pater, te quem laudant Angeli, per Ieſum Chriſtum Filium tuum, quem & nos cum ipſis, vt laudare poſſimus, humiliter deprecamur, quia Sanctus Dominus Sabaoth, vt Odo Cameracenſis in Can.Miſſ.diſt.1. & Stephan.Eduenſ.de ſac.Altar. cap.13. Clementiſſime Pater, cuius erga nos peccatores tantam clementiam, & miſericordiam oſtendis, quæ eſt præſtabilis ſuper malitia, Per Ieſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, per quem,vt ait Apoſtolus ad Epheſios cap.2.cum mortui eſſemus peccatis,nos conuiuificaſti; ſiquis enim peccauerit,aduocatum habemus apud te,Ieſum Chriſtum iuſtum, vt Io.cap.2. & c.16. quicquid petierimus te per Ieſum Chriſtum conſequemur.Supplices rogamus, & petimus, humiles affectu, & corde, expreſſione vocis,vt quod noſtræ humilitatis miniſterio geritur,taliter effectu virtutis tuæ impleatur; Vti accepta habeas placita, & grara, quia à filio tuo inſtituta. Benedicas noſtra oblata,vt tua benedictione diuino Sacramenro panis, & vini à tua liberalitate nobis conceſſa, idonea reddantur. Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata,quaſi dicat Sacerdos: Offerimus tibi Clementiſſime Pater hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia à nobis piè recepta, & à nobis tibi Deo oblata ratione ſignificationis, & applicationis diuino vſui, vt Gabriel lect.21. in Can. Miſſ. Fiunt etiam tres Cruces,ad inſinuandam reuerentiam eius, qui eſt Trinus Deus in perſonis, & Vnus in eſſentia,

Digitized by Google

cuius potentia fit conuerſio panis, & vini.

Dices, ſi eſt res vna, quare diuerſa appellatione nominatur hoc ſanctum Sacrificium?

Reſpondetur per præmiſſa verba tria illa non aliud, atque aliud dicitur, ſed res vna pro ſui magnitudine diuerſa appellatione laudatur, donum videlicet dantis, munus accipientis, ſacrificium offerentis; nanque Pater dedit, Filius obtulit, Spiritus Sanctus recepit; dicitur Pater dediſſe propter auctoritatem, Filius obtuliſſe propter humilitatem, Spiritus Sanctus accepiſſe propter benignitatem, ſinguli tamen dederunt, & obtulerunt, & acceperunt; ſed ad diſtinctionem: Illibata non enim dicuntur illibata, quaſi non dum guſtata, ſed potius immaculata, quæ ſine cordis, & corporis macula offerri debent; dicuntur ergo illibata, ideſt, ſine labe, ſicuti Paſchalis Agnus immaculatus Chriſtum repræſentans. Iſtas tres præfatas Cruces, quarum ſupra meminimus, ſignificare, aiunt Innoc. III. lib. 3. de Miſſ. cap. eodem, & Durand. lib. 4. cap. 36. nu. 7. & 8. tria genera perſonarum, à quibus Chriſtus Dominus fuit ad mortem traditus, primo à Patre; inquit enim Io. cap. 3. Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. Secundo traditus eſt à Iuda proditore, de quo dixit ipſemet Chriſtus Luc. cap. 22. Iuda oſculo filium hominis tradis. Tertio tandem fuit traditus à Iudæis, vt ait Matth. cap. 27. de Pilato loquens: Sciebat, quod per inuidiam tradidiſſent eum.

In primis, cauſam reddit Sacerdos, propter quam ſacrificia iſta offerat, ſeruando in hoc loco charitatis ordinem, quem docet Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 2. Oportet offerri primo pro Eccleſia tota, deinde pro illis, qui in dignitate ſunt conſtituti; & tandem pro perſonis ſingularibus. bonum enim commune priuato, & particulari anteponendum, vt probat Ariſtoteles lib. 1. Ethic.

In primis, hoc eſt principaliter rogamus pro Eccleſia tua ſancta Catholica, ideſt vniuerſali, toto terrarum Orbe diffuſa, quam Eccleſiam pacificare digneris, ideſt ab hoſtibus viſibilibus, & inui-

inuiſibilibus tueri, vt eius pacem non turbent Hæretici, & Schiſmatici, cuſtodire, & adunare, quæ diſperſa eſt inter perfidos, & paganos; Cuſtodire, ideſt regere, vna cum famulo tuo. N. nomen Pontificis exprimi debet; iuxta decretum Gelaſij Papæ, & multi dicunt, Clementem Pontificem verba iſta addidiſſe; ſed in Conc. Vaſen. cap. 4. celebrato tempore Leonis I. apud Burcardum lib. 2. decret. cap. 230. can. 6. ſtatuitur, vt Pontificis nomen omnibus Gallicanis Eccleſijs nominetur, item Epiſcoporum nomina antiquitus ad Altare recitabantur; ſed Imperatoris, ſeu Regis nomen ijs in locis, ac prouincijs tantum, quæ in eius imperio, & ditione reperiuntur, vt inquit Innoc. III. de ſacr. Miſſ. & refert Azor. vbi ſupra, & cum nomen Papæ ſignificet Patrem, non autem patrem patrum, & cum eſſet huiuſmodi nomen Epiſcopis commune, propterea Greg. VIII. anno 1073. in Synod. Dom. decreuit, vt in vniuerſo mundo vnicum eſſet Papæ nomen, & cum illud nominatur, inclinetur caput; ſed non verſus Crucem. Quod etiam ſit orandum in Miſſa pro Epiſcopo, docet S. Auguſtinus epiſt. 110. in fine, iuxta illud Pauli ad Hebræos cap. 13. Mementote præpoſitorum veſtrorum, & nominandus eſt Epiſcopus loci, in quo celebratur, vt placet Belarm. lib. 2. de Miſſ. cap. 21. & ratio eſt, quia expreſsè ait, Ordinarius illius loci, & quia in vrbe hæc verba, & Antiſtite noſtro omitti iubet, quamuis Alcuinus de celebrat. Miſſ. & Innocent. III. lib. 3. cap. 5. ſentiant, nominādum eſſe Epiſcopum celebrantis.

Omnibus Orthodoxis nullo errore deprauatis, rectæ fidei confeſſione Te Deum glorificantibus. Durant. loc. cit. nu. 19.

De Commemoratione pro Viuis. Cap. IV.

QVVM Sacerdos dicit Memento Domine, non debet, vt docet Gauantus par. 2. tit. 8. litt. O, Oculos eleuare verſus Crucem, ſed demiſſo aliquantum capite, commemorationem Chriſti fidelium facere ad ſuam voluntatem, pro quibus orare intendit, nec eiſdem oculis clauſis, niſi ad maiorem animi compoſitionem, ſed manus eleuare, & iungere debet vſque ad faciem, vel pectus.

De literis N.N. in hac parte Canonis poſitis, mentionem facit Ordo Cameracenſis in explicatione Sacri Canonis; ſed antiquitus, vt inquit Innoc. I. nomina offerentium recitabantur in Miſſa, & nos de illis mentionem facimus, qui ideo eleemoſynam dederunt. Aduertat hic Sacerdos, ne Memento in momento, ſed aliqua cum mora in Miſſa faciat, neque ita moretur, vt circumſtantes tædio, & ſe ipſum diſtractione afficiat; Si autem circa orandum pro viuis formulam aliquam habere deſiderat Sacerdos, illa quam affert Serranus 2. par. Miſſ. nu. 28. vti poterit, quæ eſt huiuſmodi.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum, hoc eſt mei, & eorum, pro quo, vel pro quibus in particulari ſacrificare debeo; parentum, fratrum, ſororum, conſanguineorum, & amicorum meorum omnium, quibus fui grauamen, ſcandalum, & occaſio peccandi, omnium benefactorum meorum in ſpiritualibus, & temporalibus. Omnium, mihi commiſſorum in genere, & in ſpecie, omnium Epiſcoporum, Sacerdotum, & Miniſtrorum Eccleſiæ Catholicæ, omnium Principum temporalium cum ſuis miniſtris, omnium inimicorum meorum, & omnium fidelium viuentium ad dimiſſionem culpæ, & largitionem gratiæ, & donorum, omnium Hæreticorum, Schiſmatico-

rum,

Digitized by Google

rum, Excommunicatorum, & infidelium ad conuerſionem, & tandem omnium eorum pro quibus & vis, & ſcis me debere orare, & illo gradu, & pro illis rebus, in quo, & pro quibus teneor pro illis offerre, & omnium circumſtantium.

Dices quum Deus nihil ignoret, nec alicuius obliuiſci poteſt, quare petimus, vt Deus meminerit noſtri?

Reſpondeo, quod Deus dicitur ſcire quos approbat, vnde nouit Dominus, qui ſunt eius, vt 2. ad Timoth. cap. 2. & dicitur neſcire, quos reprobat; Vnde non noui vos. Matth. cap. 7. & dicitur obliuiſci malorum; ſed quum malus ad bonum reuertitur, omnium iniquitatum eius dicitur non recordari, vt apud Ezech. cap. 33. Deus etiam quandoque recordatur ad miſerendum, quare Iob. cap. 7. dicebat, Memento mei Deus meus, quia ventus eſt vita mea: Quandoque recordari dicitur Deus ad puniendum, vt in Pſal. 136. Memento eſto Domine filiorum Edom in die Hieruſalem, diem autem Hieruſalem vocat tempus vaſtationis, & deſolationis ipſius, itaque orans Sacerdos dicit, Memento Domine, non quod Deus aliquorum obliuiſci poſſit, cum æternaliter omnia præſentia, præterita, futura, & poſſibilia actualiter cognoſcat; ſed obliuiſci, neſcire, & nocere, quandoque Deo attribuitur per effectum.

Sequitur, famulorum famularumque tuarum, hoc eſt fidelium, te per fidem colentium, & hic locus eſt, vt Sacerdos pro quibuſdam ſpecialiter oret, vt ſpecialiter ſacrificij fructũ eis applicet, & ideo dicit N. N. quia Sacerdos ex officio eſt nuncius Eccleſiæ pro populo ad Deum, ideoque in Eccleſiæ perſona ſacrificans, eius fructum alicui, vel aliquibus ſpecialiter applicare poteſt, quæ poteſtas ei traditur, quando ordinatur, cum in traditione Calicis, & panis, dicit ei Epiſcopus. Accipe poteſtatem offerendi pro viuis, & mortuis, &c.

Et omnium circumſtantium, hoc eſt omnium fidelium, attente aſtantium, perturbantes autem, vel circumgirantes huius ſacrificij participatione ſunt indigni.

Quorum tibi, qui omnium conſcientias vides, Fides, qua re-

Digitized by Google

& credunt per approbationem, Cognita eſt, & nota per notitiam manifeſtam. Deuotio, qua deſiderant quoad effectum, ita Gabr. lect. 26. in Can. Miſſ. reliqua huius partis Canonis verba, vide apud eundem Gabr. loc. cit.

Communicantes Rodulphus propoſit. 23. credit auctorem huius partis Canonis fuiſſe Siricium Papam, & idem aſſerit Gul. Durand. vbi ſupra cap. 38. Nicolaus verò de Ploue in expoſit. Miſſ. tribuit Lino Papæ. Communicantes igitur idem ſignificat, quod participantes in obiecto Fidei, Spei, & Charitatis, & re huius Sacramenti. In primis Glorioſæ, ſemperque Virginis Mariæ. Commemoratio Sanctorum in Miſſa eſt apud Clementem lib. 8. conſtit. Apoſt. cap. 13. & Dionyſ. de Eccleſ. Hierar. cap. 3. & quidem ante conſecrationem cum Beata Virgine illorum fit commemoratio, quia doctrina, ſanguine, & martyrio hoc ſacrificium confirmarunt, ita Gem. lib. 1. cap. 104. nulla fit memoria Confeſſorum, quia Canon, vt alibi diximus, ante S. Silueſtrum fuit editus, ex Innoc. III. lib. 3. cap. 10. & ſecundum Durand. lib. 4. cap. 38. non fit illorum mentio, quia Confeſſores non ſunt paſſi ſicut Chriſtus, cuius paſſionis eſt memoriale hoc Sacramentum. Nominatur igitur in primis Beatæ Mariæ nomen, quia ipſa Chriſtum in templo obtulit, & eum, qui oblaturus erat ſeipſum, & qui verè eſt hoſtia, genuit, & in Cælis principatum obtinet, & poſtea nominantur Apoſtoli, quoniam iſti à Chriſto Domino Sacerdotes ordinati, primi hoc ſacrificio vſi ſunt, & nobis eius ritum tradiderunt, poſtea de cæteris Martyribus fit mentio, & tandem omnium generalis habetur memoria, cum dicitur; & Omnium Sanctorum tuorum, terminatur.

Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, in Canone quinquies ſecretò dicitur, per Chriſtum Dominum noſtrum, ob quinque Chriſti vulnera recolenda, ita inquit Honor. in Gem. lib. 1. cap. 56.

Hanc

Digitized by Google

Hanc igitur Oblationem. Cap. V.

SEQVITVR, Hanc igitur oblationem, immediate offerentium, ſcilicet Sacerdotum, Seruitutis noſtræ, latriæ adorationis, ideſt ſeruitutis meæ, & aliorum, qui tibi ſeruiunt, & famulantur. Alcuinus hanc Canonis partem tribuit Gelaſio. Radulphus verò propoſit. 23. in Leonem Magnum refert vſque ad ea: Placatus accipias, & reliqua vſque Ad quam oblationem ait Amalar. lib. 3. cap. 23. & communiter omnes, à S. Gregorio addita fuiſſe occaſione peſtis in Vrbe, & bellorum, vt ait Lopez lib. 2. cap. 14. §. 1. & legitur in liturgia S. Petri Græca vna cum Communicantes; vt refert Gauantus vbi ſupra littera R. De huius varietate in Paſchate, & Pentecoſte propter recenter baptizatos, vide Gauant. par. 1. tit. 12. n. 5. pag. 61. vbi multa docet. In hoc loco Sacerdos manus expandit ſuper oblata more Aaron ex Leuit. cap. 5. & ex Suar. diſput. 84. ſect. 1. ad inſinuandum hæc myſteria nedum hominibus, ſed etiam Angelis tegi, vt inquit Rupertus lib. 2. cap. 37. vel ad ſignificãdum diuinam protectionem, ſeu gratiæ efficaciam, quam Sacerdos in hac prece poſtulatur, vt Serranus, vel tandem ad denotandum celebrantem opus adeò admirabile ſe operaturum, non proprijs viribus, ſed ordinationis virtute per Epiſcopi manuum impoſitionem.

Quæſumus Domine, non noſtris meritis, ſed Chriſti tui, atque Sanctorum interceſſione. Domine, ideſt, Pater Clementiſſime, vt placatus, & reconciliatus, tum Clero, tum Populo, vt exponit Gabriel lect. 33 in Can. Miſſ. Accipias, hoc eſt, non tibi diſpliceat, Pater æternæ filij tui dilecti ſacrificium, in quo tibi bene complacuiſti, vt Matth. cap. 17. & etiam placidè ex parte noſtra dignè offeramus, accipias.

Dieſque noſtros, vitæ præſentis, quibus inter pericula diuerſa

ſa viuimus, vt Remig. de celebr. Miſſ. In tua pace, quæ eſt pax vera, vt exponit Odo Camer. in Can. Miſſ. diſtinct. 2. Diſponas, vt in te vere requies huiuſmodi pace fruamur, atque Ab æterna damnatione, quæ perpetuò à te corpus ſeparat, & animam in æternum exruciat: Nos eripi, vt in hanc non incidamus damnationem; Et in Electorum tuorum, quorum nomina ſunt in libro vitæ, vt Apoc. cap. 20. & 21. Iubeas tua omnipotentia. Grege, numero, & collegio numerari, in electorum grege connumerari ſecundum præſentem iuſtitiam. Tres hæc petitiones videlicet, Dieſque noſtros vſque grege numerari addidit Gregor. I. vt inquiunt Io. Diaconus lib. 2. de vit. S. Greg. cap. 18. & Venerabilis Beda lib. 2. hiſt. Angel. cap. 1.

Per Chriſtum Saluatorem Dominum noſtrum. Amen.

Quam oblationem, ideſt panis, & vini; materiam nimirum ad filij tui corpus deſtinatam. Tu Deus, Pater Clementiſſime. In omnibus creaturis tuis exiſtens, vel in omnibus offerentibus, vel omnibus in hoſtijs Quæſumus digneris facere benedictam.

Benedictam, Adſcriptam, &c. quum horum verborum mentionem faciat S. Ambroſius lib. 4. de Sacram. cap. 5. manifeſtè apparet verba hæc antiquiſſima eſſe, & Microlog. cap. 14. tradit hoc loco fieri quinque Cruces, tres communiter ſuper oblata, & Calicem, ad ſignificandum, quod Chriſtus tria communiter egit circa panem, & vinum, nempè accepit, benedixit, & dedit, deinde vnam Crucem facit Sacerdos ſpecialiter ſuper panem, quia dixit: Comedite, Hoc eſt Corpus meum, & alteram ſuper Calicem, quia dixit: Bibite, hic eſt Sanguis meus; vel facit præfatas tres Cruces ſuper panem, & vinum, ad inſinuandum Chriſtum tribus fuiſſe venditum, videlicet Sacerdotibus, Scribis, & Phariſæis ad crucifigendum, poſtmodum ad deſignandum venditorem, & venditum, nempe Iudam, & Chriſtum; duas Cruces imprimit ſigillatim, vnam ſuper hoſtiam, & alteram ſuper calicem. Aliqui dicunt, iſta ſimul quinque Crucis ſigna ſuper oblationem, hiſtoriam repræſentare dierum quinque à die Palmarum, vſque ad diem Paraſceuè, in quo Chriſtus

Do-

Digitized by Google

Dominus fuit crucifixus, mortuus, ac ſepultus,alias duas Cruces diuiſim vnam ſuper hoſtiam,aliam ſuper ſanguinem,ait Francus Titel. in expoſit. myſter. Miſſ. cap. 60. deſignare hoc diuinum Sacramentum valere ad corporis animæ que ſalutem,verba igitur præfata, benedictam, &c. ſic exponi poſſunt, benedictam à Deo Eccleſia petit,vt oblatio fiat in omnibus benedicta, benedicit illa miſtica, qua ex pane fit Chriſti corpus, quod eſt omnis benedictionis cauſa, & origo. Adſcriptam, ideſt, in numero placitorum tibi numerum taliter receptam,vt de tua memoria obliuione non poſſit deleri. Ratam, ideſt formam non tranſitoriam. Rationabilem,ideſt habentem effectum cōgruum. Acceptabilemque vt omnia apertius declaret Eccleſia petit,vt mutatis per prolationem verborum Sacerdotis ſubſtantijs panis & vini,fiat hoſtia acceptabilis in Chriſti Domini Corpus,& Sāguinem,vt inquit Serranus 2.par.nu.41.

Qui pridie quam pateretur,repræſentatur hic id, quod Chriſtus vna cum ſuis diſcipulis in Cœna geſſit, qui prima die Azimorum, quæ fuit xiv. Luna, accepit panem materialem in ſuum corpus conuertendum. Alexand.Papa I. addidit hæc verba,vſque ad illa conſecrationis, vt aſſerunt Vualfrid. cap. 22. & Microl. cap. 12. ſed eſt periodus Apoſtolorum ex Alcuino vſque ad verba,Vnde & memores,cum reperiantur apud Clementem lib.8.cap.17.& in liturgia S.Petri.

Qui pridie quam pateretur,ideſt vna die,antequam ipſe paſſus eſt pro nobis,voluit tradere ſuis diſcipulis Corporis,& Sanguinis ſui myſterium, vt illi traderent nobis, & Sacerdos hæc verba, Qui pridie, dicens, pollices, & indices vtriuſque manus ducit ſuper corporale, tergens eos ad deſignandum, quod ſacrificium non niſi mundis manibus, nullo pollutis vitio,debet venerabiliter, ac ſumma cum reuerentia contrectari, & etiam exterguntur dicti pollices, atque indices, vt ait Gauant. vbi ſup. ne ſint humiditate affecti. Et eleuatis oculis in Cœlum, ad deſignandum, vt ait Gabr.lect.34.in Can.Miſſ. Dignitatem, & arduitatem inſtitutionis Euchariſtiæ; In Cœlum, vt oſtenderet,

vt ait Origenes tract.28. in Ioan. & Chryſ.hom.78. in eundem, nobis in rebus ita grauibus, oculos eſſe eleuandos ad Deum, & à temporalibus abducendos, & vt donaret, vt ait Gabriel, vbi ſupra, vnde ſit virtus principalis, qua ineffabilis ſit actio conſecrationis. Benedixit, de hac benedictione cum ſigno Crucis paulo ante verba conſecrationis mentionem facit S.Auguſt.ſer. 19. de Sanctis, & Nicolaus de Ploue in expoſit. Miſſ. ſentit, Chriſtum Dominum nō benedixiſſe panem manu formando ſignum Crucis, & rationem affert, quia nondum virtus deifica Cruci data erat.

De Verbis Conſecrationis, Hoc eſt enim Corpus meum. Cap. VI.

AD illam ineffabilem Miſſæ partem deuenit Sacerdos, circa quam, vt inquit Innoc. III.lib.4. de Miſſ. cap.1. deficit lingua, ſermo diſparet, ſuperatur ingenium, & opprimitur intellectus, quoniam in illa mediante conſecratione panis & vini, ſubſtātiæ in veri Chriſti Corpus, & Sanguinem tranſubſtantiantur, & non vacat myſterio, vt bene notat Gabriel lect.38. quod huius conſecrationis verba ſint quinque, quoniam totidem fuit cōſummata Incarnatio, legitur enim apud Luc. cap.1. fiat mihi ſecundum verbum tuum, & totidem verbis bono latroni fuit facta Cæli promiſſio, vt apud eundem Euangeliſtam habetur cap. 22. Hodie mecum eris in Paradiſo; totidem tandem publicano culparum fuit facta remiſſio: Deus propitius eſto mihi peccatori, vt refert D.Luc.cap.18.

Notandum hic eſt, quod Sacerdos in prolatione verborum conſecrationis non ſuis, ſed Chriſti Domini verbis vtitur.

Hoc, non hic, ſed hoc quod iſtis ſpeciebus continetur, vt optime exponit Serranus vbi ſupra. Eſt, non ſignificat, ſed eſt.

Enim

Enim verè, & realiter per ineffabilem conuerſionem factam in fine prolationis verborum huiuſmodi. Corpus meum, verum, & naturale ex Beata Maria genitum, ex Symbolo fidei, quare Sacerdos ſumma cum attentione, ac reuerentia verba hæc conſecrationis proferre debet,& dum illa profert,non tam proprio, quàm Chriſti Domini ore (vt diximus) conſecrationis verba pronuntiat,& in illorum prolatione Chriſti officio fungitur,quoniam, vt inquit S.Ambroſius lib.4.de Sacrament.cap.4. Chriſti ſermonibus fit conuerſio.

Sacerdos igitur, vbi prolatis conſecrationis verbis ſtatim hoſtiam conſecratam genuflexus adorat, & genuflectitur vnico genu ad hoc, vt ſtatim, & facilius ſurgere queat, quod & in ſequentibus obſeruandum eſt; neque illam adorat cubitis ſuper altare poſitis, ſed manibus illam ſuper altare retentis, & poſtea in altum eleuans, omnibus adorandum exhibet, & ſtatim reponit, neque diù eleuata tenenda eſt, & dum hæc agit Sacerdos, deuotè in corde ſuo hæc,vel ſimilia verba meditari poterit. Reſpice Domine Sancte Pater de ſanctuario & excelſo habitaculo tuo, & intuere hanc Sacroſanctam hoſtiam, quam tibi offert vnigenitus Filius tuus pro peccatis noſtris.

Dices, quid ſignificat iſta Dominici Corporis eleuatio?

Reſpondeo, ſignificare, quomodo Chriſtus Cruci affixus, exaltatus fuit à terra, ita vt poſſent eum à longe aſpicere,qui tranſibant per viam, iuxta illud Mar. cap. 15. Ita S. Gennadius in theor. rerum Eccleſiaſticarum. Denotat etiam iſta Euchariſtiæ exaltatio in manibus Sacerdotis,Chriſtum verũ panem per Prophetas in Scripturis Exaltatum, cum nimirum eius incarnationem prophetabant; inſinuat etiam actio iſta Sanctam Chriſti reſurrectionem; eleuatur tandem hoſtia, vt populus cognoſcat eſſe factam conſecrationem, & Chriſtum ſuper Altare veniſſe.

Demiſſio autem Corporis Chriſti ſignificat depoſitionem eius de Cruce.

Dices ſecundo, quam ob cauſam in eleuatione Corporis & Sanguinis Chriſti campanula pulſatur?

Digitized by Google

Reſpondet Durand. lib.4. cap 41 .nu.53. in fine,vt ſonitu illius aſſiſtentes præmoniti, Deum adorent, quod ex veteri teſtamento, tempore ſacrificij Leuitæ cum tubas clangerent argenteas, fortaſſe deſumptum eſt, vt habetur Num. cap.10. Sonitu enim illarum populus excitatus ad adorandum prouocabatur, dum igitur in Miſſa huius campanulæ ſono vtitur,id fit ad oſtendendum à ſui prima inuentione ad Dei veri cultum fuiſſe dedicatum,quo Dæmones fugantur,& Chriſtiani attenti,Spirituque hilari redduntur, vt Petrus Mexa var. lect. lib.2.cap.10.in Sylua var. lect. & refert Serranus vbi ſupra nu.97. quæ campanulæ pulſatio ortum habuit ex decreto Gregorij XI.ſicut ea Nauclero Gener. 42. anno 1240. ita refert Stephanus Durantus lib.2. de rit.Eccleſ.cap.40.nu.17. & huius ritus meminit Iuo Carnot. epiſt. 16. ſed Abbas Vrsbergen. huiuſmodi campanulæ pulſationem refert in Honorium III. Cæſarius verò Arelatenſis lib.9. cap.51.Anno 1207.hunc ritum Vidoni Cardinali adſcribit.

Quæ campanula tribus ictibus eſt pulſanda, quia, vt alias diximus,ex Innoc.III.ternario numero gaudet Eccleſia, pulſanda eſt igitur cum Sacerdos hoſtiam adorat, cum eleuat, & cum reponit, & idem agendum eſt in adoratione,eleuatione,& repoſitione Calicis; imò S.Carolus in Synodo Diœceſ.Mediolanen. 2. decret.11. ſanciuit, vt dum Chriſti Domini Corpus in conuentuali Miſſa extollitur, maior campana eſſet pulſanda, & idem agendum eſſe in Miſſa in vnaquaque Parochiali Eccleſia à Parocho celebranda,ad hoc,vt fideles, qui Miſſæ ſacrificio in Eccleſia non adeſſent, præmoniti ad tanti,& magni myſterij, & beneficij memoriam, animum excitantes, ſuppliciter apud Deum pias effunderent preces.

Poteſt hic animaduertere lector,cur in Miſſis ſolemnibus ipſa ſacra oblatio thurificetur, nempè ad maiorem reuerentiam, vel ad inſinuandum in thurificatione ſigno ſenſibili, immenſi huius ſacrificij,quod gratiſſimi odoris Deo eſt loco,efficaciam, vt Serranus vbi ſupra; ſicuti enim ex cremato thure ſuauis procreatur fumus,ſic ex humanitate ſanctiſſima Chriſti amoris igne in Cru-

ce

Digitized by Google

ce cremata, & in Euchariſtia oblata, ſuauiſſimus ſatisfactionis, & meriti fumus exoritur, de quo multo magis, quam de Noe ſacrificio odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, vt habetur Gen. cap. 8.

Poſt hoſtiæ eleuationem deuenit Sacerdos ad conſecrandum Sanguinem, & detecto Calice, dicit, Simili modo, ſicut in corporis conſecratione, vt exponit Gabriel lect. 52. in Can. Miſſ. quantum ad cauſam, virtutem, & ceremonias fecerat eadem hora, & die; ſed poſtquam cœnatum eſt, non quidem, vt alios poſt cibos, iuxta falſam Hæreticorum aſſertionem, & non à ieiunis, vt facere ſolet, & iubet Eccleſia ſit Euchariſtia ſumenda; ſed ad maiorem commendationem; quæ enim vltimò dicuntur loco vehementius commendantur, & magis cordibus infiguntur; vide Franciſcum Suarez in 3. par. S. Thomæ tom. 3. diſp. 68. ſect. 3. Accipiens hunc præclarum, non figuralem, ſed præ alijs clarum, Calicem, veri ſacrificij contentiuum, eundem cum illo, quem Chriſtus Dominus conſecrauit, non numerali entitate, ſed in ſpecifica vini continentia, vt Alcuinus de diuin. offic. cap. de celebr. Miſſ. In ſanctas, ac venerabiles, ſumma latriæ veneratione, Manus ſuas, quibus conſtituit vinum de vite pro materia conſecrationis. Item ſicut prius fecerat conſecrando corpus. Gratias agens, Patri Omnipotenti, Benedixit, proferendo formam, vinum conſecrando, & in ſuum conuertendo ſanguinem, vt S. Tho. 3. par. q. 78. art. 1. ad 1.

Notandum hic eſt, quod ad Cruces formandas Sacerdos regula vti deberet iuxta peritiores in Vrbe, vt duæ delineentur lineæ hoc modo ✠, prout adeſt in Miſſali, & lineæ quarum nunc meminimus, excedere non debent palmi menſurã, & pars tranſuerſa Crucis facienda eſt manu quoque tranſuerſa, & non manu recta, qua ad muſcas à Calice expellendas vtimur; Vide Tydeum Bonamicum, qui tractatum facit hac de re; ſicuti enim non eſt deſerenda hoſtia ad illud verbum, Benedixit; ſic non eſt deſerendus Calix à Sacerdotis acceptione, dum idem verbum profert, Benedixit, videlicet. Deditque, ideſt, porrexit: diſci-

pulis

puliſ ſuis,quos Sacerdotes ordinabat, vel iuxta ſententiam Gabrielis vbi ſupra lect. 52. Iam in Sacerdotes ordinatis dicens, vt notarent, & aduerterent myſterium. Accipite, officium conſecrandi, & diſpenſandi; Et bibite, ad incorporationem mihi, & ad augumentum deſiderij cæleſtis, ex eo potu cæleſti, atque diuino. Omnes Sacerdotes, abſque vlla perſonarum acceptione,ſed cum diſcretione meritorũ, quia inquit Apoſtolus 1. Cor. cap. 11. Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, & hic Sacerdos ſuper Calicem conſecrationis verba profert.

De Verbis Conſecrationis ſuper Calicem. Cap. VII.

NOTANDVM eſt, quod Calix in ſacris litteris tripliciter ſumitur, primo modo pro Vaſculo potum continente, vt hic. Secundo modo, accipitur pro paſſionis amaritudine, antiquitus enim vltimo ſupplicio damnandis potus in Calice dabatur,& hoc modo à Chriſto Domino dictum fuit Zebedæi filijs: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? ideſt ſuſtinere mortem, quam egò ſum paſſurus, vt habetur apud Matth. cap. 2. Tertio tandem modo ſumitur pro potu in vaſe, ſeu calice contento, per figuram, quam grammatici metonymiam vocant, cum nimirum continens pro eo,quod continetur vſurpatur, vt apud Virgilium Aeneid.lib.7. Nunc pateras libate Ioui, &c. Sicuti ſtatim infra cum Dominus dicit. Hic eſt Calix, &c. & pronomen hic non demonſtrat Calicem, quem Sacerdos in manu accipit, illum enim eundem non accepit Chriſtus in manus ſuas tempore Cœnæ,ſed demonſtrat eum, quem Chriſtus accepit huic ſimilem, atque eundem nominis appellatione,& liquoris eiuſdem ſpeciei.

Sequitur. Noui,& æterni teſtamenti, noui ſcilicet confirmatiuus

Digitized by Google

tiuus poſt vetus per ipſum terminatum, de quo inquit Apoſtolus ad Hebræos cap. 9. Ideo noui teſtamenti mediator eſt Chriſtus, & rationem cur, dicit Apoſtolus, noui, adducit D. Thom. in ſequentia Corporis Chriſti, dicens.

In hac menſa noui Regis
Nouum Paſcha, nouæ legis
Phaſe vetus terminat.

Aeterni, cui nullum aliud ſuccedit: Teſtamenti, ideſt, ordinationis admirabilis, quæ verba quoſdam effuſi ſanguinis in Chriſti paſſione admirabiles denotant fructus, qui ad hoc Sacramentum maximè pertinent, vt Cathechiſ. Rom. par. 2. cap. 4. nu. 22. Non ſolum autem teſtamentum dicitur Scriptura, ſed, & promiſſio, & ſecundum hunc modum, dicitur. Hic eſt Sanguis noui, & æterni teſtamenti, ideſt confirmatio nouæ, & æternæ promiſſionis, ſicut Dominus ipſe promittit apud Ioannem cap. 6. Qui manducat Corpus meum, & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam. Myſterium, in quo ſalus noſtra conſiſtit, latens tamen, & ſecretum. Fidei, quæ credit, quod intus reperitur occultum, & non apparet, poſt prolationem enim verborum conſecrationis apparet quidem vinum, ſed eſt verus Chriſti Sanguis, qui verè, & realiter in hoc continetur Calice, vt docet Concil. Trident. ſeſſ. 17. Can. 1. de Euchar. Pro vobis diſcipulis, & Apoſtolis meis, tanquam ad æternam vitam prædeſtinatis. Et pro multis permanentibus efficaciter, & pro omnibus ſufficienter. Effundetur, ſemel in Cruce cruentè, ſicuti fuit iam factum, & quotidie incruentè, vt fit in Altari. In remiſſionem, & ſatisfactionem Peccatorum, ex parte enim Dei vult omnes homines ſaluos fieri, vt 1. ad Timoth. cap. 2.

Dices, quomodo hæc prolatio eſt vera per verbum effundetur, quod eſt futuri temporis, cum certum ſit, quod in futuro non effundetur Chriſti ſanguis, quia Mors vltra illi non dominabitur, vt Apoſt. ad Rom. cap. 6.

Reſpondet ad hoc dubium Gabriel Biel lect. 53. quod verbum Effundetur, non eſt accipiendum materialiter, ſed ſignificatiuè,

Digitized by Google

catiuè, & eſt referendum ad tempus, quod in hora inſtitutionis erat futurum, & non ad illud, quod nunc poſt horam conſecrationis eſt futurum.

Hæc quotieſcunque, &c. ante quam Sacerdos eleuet Calicem, hæc verba (nempè, hæc quotieſcunque feceritis, &c. in mei memoriam facietis) dicere debet, & dum deponit, Calicis pedi non debet celebrans oſculum infigere, de quo nihil habetur in Rubrica.

Dices tandem, cur hoſtia nunquam coöperitur, & calix operitur?

Reſpondet Durandus vbi ſupra cap. 46. ob periculum, ne aliquid cadat in Calicem, tum ob myſterium, vt Micrologus c. 10. quia in Calice repræſentatur Chriſtus, vt in Sepulchro coopertus ſyndone, ſudario, lapide claro, & ſignato; ſed in hoſtia repræſentatur, vt in paſſione, extra ſepulchrum, quare in Miſſa hoſtia ſacra, nunquam tegi debet, vt docet idem Durand. vbi ſupra.

Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis, ideſt in hoc Sacramento quotidie vobis mortis, & paſſionis Chriſti memoria renouabitur, vt de conſecr. diſt. 11. Vnde 1. ad Cor. cap. 10. Quotieſcunque manducaueritis panem hunc, & Calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat; & idcirco ipſe Chriſtus Dominus Apoſtolis dicebat. Hoc facite in meam commemorationem.

Hæc quotieſcunque, &c. vtranque conſecrationem, verba hæc reſpiciunt, panis videlicet, & Calicis, vt explicat Gabriel lect. 51.

Offertur quidem à Sacerdote ipſemet Chriſtus non in mortem, ſed in illius mortis memoriam, quare hæc oblatio non eſt reiteratio ſuę oblationis in panem, ſed ad prouocandam Dei miſericordiam repræſentatio.

Sacerdos deinde iunctis manibus dicit: Vnde & memores Domine nos ſerui tui, &c. & hæc verba Sacerdos recitans, manus ſuas extendit, & brachia per modum Crucis, ad oſtendendum de Chriſti paſſione, quam verbis memorat etiam corporis,

geſtu,

Digitized by Google

geſtu, memoriam ſe facturum. Hoc enim in loco Eccleſia tria ſibi commemoranda proponit, nimirum tam beatam paſſionem, necnon ab inferis reſurrectionem: ſed & in Cælos glorioſam Aſcenſionem, hæc verba recitans Sacerdos, manus extendit ſuas, atque brachia per Crucis modum, ad inſinuandum Chriſti paſſionem, de cuius verbis mentionem facit, vt tali modo circumſtantes, qui ſacerdotis verba, vel non audiuerunt, vel non intellexerunt ad Chriſti paſſionis memoriam figura corporis ſui excitentur.

De extenſione manuum Sacerdotis; & quina Crucis conſignatione. Cap. VIII.

QVONIAM Chriſtus Dominus Sacramentum hoc poſt eius mortem exercendum verbis his demandauit. Hoc facite, ideſt Sacramentum iſtud pro tempore celebrate, & conficite, date, atque ſumite: in meam commemorationem, ideſt in memoriam ſummæ dilectionis meæ erga vos, & amariſſimæ paſſionis meæ pro vobis, vt Luc. cap. 22. Ideò poſt conſecrationem Sacerdos brachiorum extenſione, Crucis effigiem repræſentat, ad ſignificandam crudelem Chriſti extenſionem in ara Crucis, talem, vt præ extenſione terribili omnia dinumerarentur illius oſſa, iuxta pſal. 21. Dinumerauerunt omnia oſſa mea. Dum igitur ſacerdos quinario repetit numero Crucis ſignum, dicens: Hoſtiam ✠ puram, Hoſtiam ✠ ſanctam, Hoſtiam ✠ immaculatam, &c id facit ad commemorandum quinque Chriſti plagas, duas videlicet manuum, duas pedum, & vnam lateris dextri, quibus vulneribus dirè in Crucis patibulo fuit plagatus, vt Alex. Alenſ. de off. miſſ. memb. 3. art. 2. cum D. Thom. 3. par. quæſt. 83. art. 3. ad 4. vide Io: Oſorium concione de ſacerdote. Poſtmodum ſacerdos manibus extenſis proſequitur, prolixius ſupplicans ſuæ

oblationis ſacrificium apud. Deum acceptum haberi, vt illis, pro quibus offertur, eius oblatio ſit ad ſalutem.

Supra quæ propitio, ac ſereno vultu, &c. Hæc verba reperiuntur in liturgijs S.Petri,& S.Baſilij, necnon apud S.Ambroſium 4.de ſacram.cap.6. ſed verba, quæ in fine dicuntur, videlicet ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam, addita fuere à S. Leone Magno, vt inquit Innoc.III. vbi ſupra cap.4.Notandum hic eſt, quod Dei vultus non mutatur, ſed tunc illum ſuper nos illuminat, cum ſuper nos miſericordiam infundit, vt in pſal.66. Illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Supplices te rogamus, ideſt humiles, & curuati coram tanto Deo exiſtentes de tua miſericordia confiſi, poſcimus ſalutiferum à te munus, vt exponit Steph. Cudenſ. de ſacr. altaris cap 13.à te Omnipotens Deus,in cuius ditione cuncta ſunt poſita, vt Eſter cap. 13. & cuius voluntati nemo reſiſtere poteſt, vt Apoſt. ad Rom.cap.9.

Inclinationis mentio reperitur apud Micrologum cap. 16. verba autem in liturgia S. Petri apud Clementem, & Ambroſiũ,vbi ſup.de ſacr.c.6.Reliqua ſunt manifeſta,& videre poſſunt apud Innoc.III.lib.5.c.5 & tam oſculum,quam cruces tres, antiqui Cruces has minime formabant, & patet ex ſex ordinum Crucium numero, de quibus in Canone mentionem faciunt.

Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui, &c. habentur in liturgia Græca S.Petri,& apud Ambroſium lib.4.de ſacram. cap.6.quæ verba ſic exponi poſſunt: Omnipotens Deus iube hæc, ideſt, fac hæc ſupplicationes videlicet, atque preces perferri, ideſt præſentari per manus Sancti Angeli tui, ideſt per miniſterium Angelorum, qui ſacris myſterijs adeſſe creduntur; non, vt conſecrent, ſed vt ſacerdotis, & populi Deo orationes repræſentent (huiuſmodi enim poteſtas tantum hominibus data eſt, & non Angelis) iuxta illud Apoc.cap.8. Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini de manu Angeli,quæ ſunt orationes Sanctorum. In ſublime altare tuum,hoc eſt in conſpectu Diuinæ Maieſtatis tuæ, ideſt in contemplatione Maieſtatis,

tuæque

Digitized by Google

tuæque cæleſtis curiæ, hæc manifeſta ſunt, vt habetur apud Innoc.III.lib.5.cap.5.

De Commemoratione Defunctorum. Cap. IX.

PIA Mater Eccleſia pro certo habens, pretioſum Chriſti ſanguinem, qui pro multis eſt fuſus, in peccatorum remiſſionem, valere, non modo ad viuentium, verum etiam ad Defunctorum ſalutem, atque ad pœnarum abſolutionem pro peccatis debitarum, ſtatuit, vt in quolibet miſſæ ſacrificio ſuo loco Defunctorum memoria habeatur; vt ſi defunctorum parentes, & illorum amici defuerint, de illis memoriam agere, Eccleſia ſub generali commemoratione pro illis apud Deum preces effundat, quoniam in Purgatorio exiſtentes ex ſe redimere minimè valent, quoniam merendi ſpatium iam illis expirauit, & operandi tempus pertranſijt, propterea pro Defunctis Eccleſia orat, & eos Deo ſacræ oblationis interceſſione commendat, ſciens Purgatorij pœnarum acerbitatem, quarum vna eſt damni de diuinæ viſionis carentia, alia ſenſus de afflictione ignis, & quantum ad vtrumque pœna minima Purgatorij, maior eſt mundi pœna. Vide Belarm. vbi agit de Purgatorio. Pro illis igitur orat Eccleſia, & Deum deprecatur iuxta illud D. Auguſtini: Non ſunt prætermittendę ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, & lib. 20. De Ciuit. Dei, cap. 9. inquit: Neque enim piorum animę mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quę nunc etiam eſt regnum Chriſti, & in lib. de cura pro mortuis gerenda de Iuda Machabæo c. 12. Machab. allegat: facta collatione duodecim millia drachmas argẽti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium.

Ex præcepto Apoſtolorum communis eſt ritus omnibus liturgijs pro Defunctis orare, ex Chryſoſtomo hom. 3. in Epiſt.

ad Philip. & alijs apud Durant. lib. 2. cap.43.

Quis autem auctor fuit, vt pro Defunctis ſacerdos oret, Platina auctorem dicit Xiſtum I. Anſelmus Ryde in Catalogo annorum, hoc eſſe decreto confirmatum à Pelagio I. Notandum hic eſt, vt ait Alcuinus de celebr. miſſ. & ante eum Cyprianus, Ambroſius, & alij apud Durant. lib. 2. cap.43. N.N. nomina Romana in Eccleſia recitabantur.

Dum celebrans pro Defunctis orare intendit, formula, quam affert Serranus par. 2. num. 71. vti poterit, quæ eſt ſequens.

Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis; illius nimirum, vel illorum, pro quo, aut pro quibus in particulari ſacrificare ſum obligatus. animarum parentum, fratrum, ſororum, conſanguineorum, & amicorum meorum. animarum, quæ occaſione mei purgantur in Purgatorio: animarum omnium benefactorum meorum in ſpiritualibus, & temporalibus: animarum omnium mihi commiſſorum in genere, & in ſpecie; animarum omnium Epiſcoporum, ſacerdotum, & miniſtrorum Eccleſiæ Catholicæ: animarum Principum temporalium, & miniſtrorum ſuorum: animarum morte improuiſa è corporibus exutarum: animarum, quarum non eſt, aut non fit ſpecialis memoria, aut miſerrimè in Purgatorio exiſtentium: & animarum omnium eorum, pro quibuſuis, & ſcis me debere orare, & in illo gradu, in quo teneor pro illis offerre, ipſis Domine, &c.

Notandum primò ſacerdotem orare pro exiſtētibus in Purgatorio, qui cum non dum ſint poſſeſſores, quamuis de ſpe ſecuri, & pro his ſacrificium miſſæ offerri poteſt, vt definitum eſt in Conc. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. & eſt communis Doctorum ſententia, in 3. ſententiarum diſt. 45. quæ quidem Defunctorum memoria à primordijs Eccleſiæ Apoſtolis traditione inoleuit, quemadmodum teſtatur Dionyſius in lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 7. vbi ait: De prece ſuper Defunctis facienda, ex diuinis ducibus, ideſt Apoſtolis, traditio peruenit ad nos; &

idem

Digitized by Google

idem aſſerit Greg. Nanz. in oratione funebri in mortem Cæſa-rij fratris ſui.

Hoc miſſæ ſacrificium minime offerri poteſt pro Defunctis, quorum animæ in inferno cruciantur, quia in illo nulla eſt redemptio, & Conc. in cap. 24. prohibet celebrari pro illis, qui ſe ipſis occiderunt, & in cap. pro obeuntibus 13. quæſt. 2. habetur miſſæ ſacrificium non eſſe offerendum pro impijs Defunctis, & eſt communis Theologorum ſententia, & ratio eſt, quia damnati ſunt incapaces effectuum ſacrificij miſſæ, & ſunt extra omnem ſalutis ſpem, atque miſericordiæ, quod ſi contingat offerri pro illis, quia ignorantur eſſe damnati, dictum ſacrificium ad viuorum conſolationem, & defunctorum valebit, qui ſunt in Purgatorio, nō damnatorum, vt S. Aug. in Enchir. c. 101. Vide S. Gregorium 34. Moral. cap. 13.

Quod ſi Damaſcenus refert in ſuo ſermone, quod Gregorius Papa orationem fundens in Eccleſia S. Petri pro anima Traiani Imperatoris, vocem diuinitus ſibi illatam, audiuit: Vocem tuam audiui, & veniam Traiano do.

Reſponderi primo poteſt eſſe hiſtoriam apocrypham. ſecundò quòd Traianus non erat in inferno finaliter damnatus, ſed ſecundùm præſentem iuſtitiam propriorum meritorum. Vel reſponderi poteſt tertiò, quòd anima Traiani non fuerit ſimpliciter abſoluta à reatu pœnæ æternæ, ſed eius pœna fuit ſuſpenſa ad tempus; ſcilicet vſque ad diem Iudicij, vide D. Thom. in 4. ſentent. diſt. 45. quæſt. 2. art. 2. ad 5. qui probabiliter æſtimat, quòd precibus S. Gregorij fuerit Traianus ad vitam reuocatus, & ibi gratiam ſit conſecutus, per quam remiſſionem peccatorum habuit, & per conſequens immunitatem à pœna.

Dices Eccleſia in miſſis defunctorum Deum orat in offertorio, vt liberentur illorum animæ de profundo lacu, de pœnis inferni, &c. Ergo falſum videtur, quod non poſſit orari pro animabus in inferno exiſtentibus.

Reſpondet Azor. inſtit. moral. in lib. 10. cap. 22. & Suarez diſput. 43. ſect. 4. intelligendum eſſe, vt liberentur de purgatorio igne,

igne, qui idem prorſus eſſe perhibetur, atque ignis inferni, vel reſponderi poteſt, particulam illam inferni intelligendam eſſe non de inferno, ſed de Purgatorio, cum hoc, quod reperitur ſub terra, Infernus appellatur; imò Lymbus etiam in Apoſtolorum Symbolo eaſdem ob cauſas Infernus vocatur; vbi dicitur Chriſtus deſcendiſſe ad inferos. Lege Belarm. vbi agit de controuerſijs Purgatorij. Dici etiam poteſt liberatas fuiſſe ab inferno animas ex præuiſis precibus, quæ faciendæ erant in Eccleſia, ita vt ſenſus ſit, libera eas nunc pro tunc.

Neque pro Beatis orat Eccleſia, quia cum diuina fruantur viſione, orationibus non indigent; ſed poteſt offerri ſacrificium pro illis, vt gratiæ Deo referantur pro eorum felicitate, & vt pro nobis orent.

Itaque confertur Beatis per ſacrificium miſſæ augumentum gloriæ non eſſentialis, ſed accidentalis, & hoc modo intelligenda eſt oratio illa S. Leonis Papæ: Annue nobis Domine, vt animæ famuli tui Leonis hæc proſit oblatio; ideſt ad gloriam accidentalem, vt exponit Innoc. III. lege D. Auguſtinum lib. 8. de Ciuit. Dei c. 26. & 27. & Cyprianum epiſt. 5. lib. 4. & etiam in collecta poſt Communionem petimus aliquando, vt hoc ſacrificium ſicut ſanctis ad gloriam, ideſt accidentalem, ita nobis proſit ad veniam vt docet S. Chryſoſt. hom. 33.

Frequenter Sacra Scriptura appellat defunctos, dormientes, quia ſicut dormientes euigilant, ita mortui reſurgent, propter quod habetur 1. Thim. 4. Nolo vos ignorare de dormientibus, & Ioan. cap. 11. Lazarus amicus noſter dormit, ideſt defunctus eſt.

Sequitur. Et omnibus in Chriſto quieſcentibus, hoc eſt in fide formata defunctis in ſpe prima reſurrectionis: locum refrigerij à pœnis Purgatorij, lucis, ideſt, beatæ viſionis, quæ eſt lux maxima. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, hic ſacerdos caput inclinat, quia ſtatim dicturus eſt, Nobis quoque peccatoribus, quę ſunt verba maximæ humilitatis.

Dices, quare candelæ accenduntur pro defunctis, & thus adhibetur?

Digitized by Google

hibetur? Reſpondeo, vt Chriſtus, qui eſt lux vera defuncto-rum animas de tenebris eripere, & ſua æterna luce illuminare velit, & cum thus accenditur in hoc deſiderandum eſt, vt Deus animas illas eripere velit à fœtore Purgatorij, vbi eæ puniun-tur.

De pectoris percuſſione. Cap. X.

CVM peruenit ſacerdos ad locum illum: Nobis quoque peccatoribus (ideſt nobis viuentibus quoque peccatoribus, nemo enim mundus à ſorde, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram) elata parum voce, manu dextra pectus ſibi percutit, ſiniſtra poſita ſuper corporale, ſilentium interrumpendo, vocem eleuat: Ita Amalar lib.3. cap.26. & Microl. cap.27. Nobis quoque peccatoribus, verba iſta reperiuntur in liturgia S. Petri; pectus ſibi percutit, ante Innoc. III. nemo de hac pectoris percuſſione mentionem fecit, ſed tantum ipſe lib. 5. cap. 12. quæ pectoris tunſio, vt docet Durand. lib.4. cap.46. tribus fit digitis inferioribus, & vltimis, ne alij ſuperiores digiti iuncti planetam tangant, iſta percuſſio pectoris nobis in memoriam reducit contritionem, & confeſſionem illius fęlicis latronis, qui pœnitentia ductus in Cruce pendens alterum increpabat latronem, dicens: Nos digna factis recipimus, hic autem nihil mali geſſit, & conuerſus ad Ieſum aiebat; Domine memento mei cum veneris in regnum tuum, vt apud Luc. cap. 23. propter quod audire meruit: Amen, dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.

Dices, ſi anima boni latronis à corpore ſeparata, ſtatim ad Lymbum deſcendit, quomodo eo die fuit in Paradiſo?

Reſpondeo; quòd cum deſcendiſſet cum Chriſto, ſtatim ille animas ibi repertas beatificauit, dando eis pręmium eſſentiale; videlicet diuinę eſſentię beatificam fruitionem, & fuit parti-

ceps

Digitized by Google

ceps beatificę viſionis, & conſequenter bene dici poteſt, eò die in Paradiſum migraſſe.

Quęres cur Chriſtus crucifigi voluit in medio duorum latronum? Reſpondeo primò, vt adimpleretur prophetia illa Iſai. cap. 53. quę dicit, & cum iniquis reputatus eſt, ſecundò quoniam, cum crucifixus eſſet cum alijs, apertè differentia videretur inter alios, & ipſum.

Repręſentatur etiam, dum ſacerdos ſibi pectus percutit, qualiter Centurio, & qui cum illo erant videntes quę fiebant, videlicet, Solis obſcurationem, terręmotum, & Chriſti validum in expiratione clamorem, percutientes pectora ſua, ad propria reuertebantur, quam Eclypſim S. Dionyſius in epiſt ſua ad Polycarpum ſcribit, ſe vidiſſe apud Heliopolim vrbem Aegypti, vbi tunc fuit ad aſtronomię ſcientiam incumbendum ob aeris ſerenitatem, & vidit vt aſſerit, Lunam ab Oriente venire, ſeque Soli ſupponere, & obſcuritatem cauſare, quę Dionyſius videns, exclamaſſe dicitur: Aut Deus naturę patitur, aut mundi machina diſſoluetur.

Notandum eſt in pectoris percuſſione tria reperiri, videlicet, ictum, ſonum, & tactum, & hoc eſt, quia Deum offendimus cogitatione, verbo, & opere, & fit tribus digitis pręter rationem ſupra aſſignatam, vt Trinitas in vnitate notetur. Gabriel lect. 60. Deſignare etiam poteſt hæc pectoris tunſio Publicani pœnitentiam, qui pectus percutiebat ſuum, dicens: Deus propitius eſt mihi peccatori, vt habetur apud Luc. cap 18.

Dicit igitur ſacerdos: Nobis quoque peccatoribus, quia ſi dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, vt Io: cap. 1. & licet ſemper nos peccatores ex corde recognoſcere debeamus, id pręcipuè agendum eſt cum pro peccatorum remiſſione ſacroſanctum miſſæ myſterium celebramus.

Sequitur: De multitudine miſerationum ſperantibus. Notandum hic eſt, quod vna tantum eſt Dei miſericordia, non aliud quidem quam ipſe miſericors; ſed multi ſunt eius effectus,

Digitized by Google

ctus, qui miſerationes dicuntur; Vnde Dauid in pſal. 24. dixit: Reminiſcere miſerationum tuarum, quæ à ſæculo ſunt, & in pſal. 88. Vbi miſericordiæ antiquæ tuæ Domine? & Apoſt. 2. Cor. cap. 1. inquit, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis; Nulla igitur videtur eſſe diuerſitas ſecundum rem, aut ſenſum inter miſericordias, & miſerationes.

Sequitur Partem aliquam, videlicet æternæ beatitudinis partem, quia licet Deus totus detur, non tamen totaliter in cælo datur beatis, vnde Dauid in pſal. Dominus pars hæreditatis meæ, & quia datur ſecundum differentiam meritorum ex Innoc. III. lib. 5. c. 8. Idcirco Sacerdos partem petit, quia in domo Patris manſiones multæ ſunt: Et ſocietatem donare digneris; licet enim vnum, & idem præmium ſit ſingulorum, videlicet ipſe Deus, tamen ſecundum differentiam meritorum, vt diximus, alij plus, alij minus diuinam poſſident viſionem; nam Apoſtolus 1. Cor. cap. 15. ait, Stella enim à Stella differt in claritate. Sequitur, cum Ioanne, & Stephano propter priuilegium cælibatus commendantur hi Sancti in primis, quoniam in Cruce Chriſtus Dominus Matrem Virginem diſcipulo Virgini commendauit, & Stephani Virginitas ex eo maxime elucet, quia ad viduarum miniſterium fuit deputatus, vt legitur Act. cap. 6. Matthia in Apoſtolorum ſorte electo. Barnaba cum Apoſtolo Paulo in Euangelij opus ſegregato. Ignatio, qui fuit diſcipulus Ioannis Euangeliſtæ. Alexandro, &c. 1. Pontifice, qui, vt ait Baronius anno 132. magnā Romanæ nobilitatis partem ad Chriſti fidem conuertit, & multa ad huius ſacrificij decentiam, & reuerentiam ſanciuit. Marcellino Presbytero, Petro exorciſta, Felicitate, quæ ſeptem filios martyres Spiritu Deo peperit, quos carne mundo pepererat, quam putat Gauantus ſororem eſſe Perpetuæ, cui coniūgitur Perpetua, martyri inſigni, quæ conſtantiſſime à leonibus lacerari tolerauit, Agatha, quæ tanquam ad nuptias inuitata ad martyrium properabat, Lucia, quæ iucundum ſua virginitate habitaculum Chriſto præparauit, Agnete, vt ait Ambroſius lib. 1. de Virgini-

tate,Corpore iuuencula,ſed mente cana; Cæcilia nobiliſſima Romana, quæ quaſi argumentoſa apis cæleſti ſponſo ſeruiuit, Anaſtaſia igne conſummata per martyrium Cælo die eodem naſci meruit, quo Chriſtus natus eſt Mundo.

Notandum eſt, quod hic octo viri,& ſeptem mulieres computantur ad ſignificandum, quod per hoc ſacrificium ſeptem donis Spiritus Sancti, ad octo beatitudines peruenitur, ita Honorius in Gem.lib.1.cap.27. & non nominatur S.Matthias ante conſecrationem, quia non fuit ante Chriſti paſſionem Apoſtolus, & ſi nominatur S. Paulus, id fit propter priuilegium, quod habet,vt ſemper coniungatur cum Diuo Petro.

Sequitur, Non æſtimator meriti, quia Deus præmiat vltra condignum, cum Sacerdotis meritum quantum ad ſuum naturalem valorem ſit nullius momenti, reſpectu æternorum.

Sed veniæ quæſumus,in peccatorum remiſſione gratioſe largitor,ideſt liberaliſſimus,&c.

Dices,ſi ſcriptura dicit, quod Deus eſt iuſtus Iudex, & retributor vniuſcuiuſque ſecundum opera ſua, quomodo hic dicitur non eſſe æſtimator meriti?

Reſpondetur, quod Deus non eſt æſtimator meritorum ſecundum valorem, quem habent præciſè ex natura actus ſecundum ſe, & ſuum naturalem valorem, quia ſi ſic non præmiauit noſtros actus temporales præmio æterno,ſed eſt iuſtus retributor meritorum ſecundum ſuam acceptationem ad præmium liberaliter pro tali actu promiſſum.

Per quem hæc omnia, nimirum, per quem Chriſtum Dominum noſtrum omnia habet S. Eccleſia, quæ ego famulus tuus indignus in hoc Miſſæ ſacrificio egi: Domine, & Pater clementiſſime ſemper bona creas,ineſſe naturali conſtituendo.

Poſtea Sacerdos ſignat ter ſuper hoſtiam, & Calicem ſimul dicens, Sancti ✠ ficas, Viui ✠ ficas, bene ✠ dicis, de tribus his crucibus Microlog. cap.7. mentionem facit, ſed verborum meminit S. Cyprianus ſerm. de Cœna Domini, & dum Sacerdos hæc tria Crucis ſigna facit, nobis in memoriam reducit

Digitized by Google

cit quemadmodum perfidi Iudæi ter dixerunt clamantes: Crucifige eum, Crucifige eum, & rurſus tolle, tolle, crucifige eum, vt apud Ioan. cap. 19. Ad recolendam igitur Crucifixionem, quę poſt trium horarum interuallum eſt facta manibus Gentilium cum milites Ieſum crucifixerunt, Sacerdos iterum facit tres Cruces cum hoſtia ſuper Calicem ſuper tribus verbis, videlicet, Per ip ✠ ſum, & cum ip ✠ ſo, & in ip ✠ ſo; per ipſum tanquam per mediatorem Dei, & hominum, & cum ipſo tanquam coęquali, quia ipſe coęqualis eſt Patri, & in ipſo tãquam verè conſubſtantiali in membris eius, vt exponit Durand. vbi ſupra, vel ſecundum Innoc. III. lib. 5. cap. 11. & Alexand. de Aleſ. 4. p. q. 33. ideo Sacerdos facit tres prædictas Cruces ad inſinuandum Chriſtum Dominum in dura Cruce, ter diuerſas fuiſſe paſſum Cruces: prima dicitur paſſio, & fuit in corpore, de qua legitur: O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus, vt apud Ieremiam cap. 1. Secunda fuit in mente ipſius Chriſti, quæ vocatur propaſſio, de qua dixit: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, vt Matth. cap. 26. Tertia fuit in corde, & vocatur compaſſio orando pro crucifixoribus, dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt Luc. cap. 23. Per ipſum, cum ipſo, &c. habet S. Ambroſius lib. de Sacram. cap. 5. & in liturgia Græca S. Petri docetur ſignare pone Calicem cum eiſdem verbis, vt refert Gauant. vbi ſupra, & cum Sacerdos dicit: Omnis honor, & gloria, eleuat parum Calicem cum hoſtia, tradit Microlog. cap. 17. cit. & prius eleuabatur Calix ad ea verba: Per omnia ſæcula ſæculorum, &c. vſque ad tempus Durandi, qui hunc eundem ritum cum Micrologo deſcribit, & ad inſinuandam diuiſionem Carnis, & animæ Chriſti morientis, facit Sacerdos duas Cruces cum ipſa hoſtia, ſignans inter Calicem, & pectus, & faciendo Sacerdos Crucem, manus ſuper menſam Altaris extendit, ad ſignificandum, quod Chriſtus ſuper aram Crucis manus expandit iuxta illud Iſa. cap. 45. Expandi manus meas ad populum non credentem mihi.

Digitized by Google

Poſſunt etiã ſignificare iſtæ tres prædictæ Cruces, tres Chriſti cruciatus, quos tribus tẽporibus ſuſtinuit, nimirũ ante mortẽ, alapas, flagella, ſputa, & ſimilia, in morte crucifixionem, & poſt mortem lateris perforationẽ. Quarta Crux denotat ſeparationẽ animæ à Corpore Chriſti. Quinta denique deſcenſum in limbũ, vel cruciatũ in pedibus, ita Duran. loc. cit. Deinde Sacerdos reponit hoſtiam, & palla cooperit Calicem, quod operimentũ huc vſq; fuit ad neceſſitatem; ſed deinceps, vt inquit Microl. vbi ſup. erit ad myſterium, in hac enim eleuatione, & Calicis depoſitione, de Chriſti in ſepulchro depoſitione fit mentio, iacuit enim Chriſtus Dominus in dicto ſepulchro ferè tribus diebus, quos denotant tres articuli ſequentes orationum, & palla ſuper Calicem poſita monumenti lapidem deſignat.

De exaltatione vocis Per omnia ſæcula ſæculorum. Cap. XI.

POST ſilentium eleuata voce Sacerdos dicit: Per omnia ſæcula ſæculorum; tenens manus extenſas ſuper Altare, & ideo exaltat vocem, vt Populus ratificet, quæ ſecretò peracta ſunt cum verbo Amen. Videndus eſt Innoc. III. lib. 5. cap. 12. Vel ad ſignificandum, quod Ieſus exclamans voce magna emiſit ſpiritum, vt Matth. cap. 6. inſinuare etiam poteſt hæc vocis eleuatio mulierum, & cæterorum, qui ad illud lachrymabile ſpectaculum conuenerunt compaſſionis luctum, & quia dictæ mulieres lamentabantur flẽtes Dominum, ideo Sacerdos vocem hic exaltat, & reſpondetur, quaſi cum lamentatione, Amen, in memoriam reducens fideles, qui corde contrito Dominum lugebant.

Oremus. Sacerdos dicens Oremus, caput inclinat, & illud ſtatim erigit ad, Præceptis ſalutaribus, &c. quod iunctis manibus dicit, quas deindè ad Pater noſter, extendit. Oremus,

vide-

Digitized by Google

videlicet nos fragiles, & inſufficientes patrem, à quo omne bonum procedit. Præceptis ſalutaribus inducentibus nos ad veram ſalutem, Moniti, ſcripturis vtriuſque teſtamenti, Et diuina inſtitutione, videlicet ſummi Magiſtri. Formati, ideſt, inſtructi, quomodo orare debemus. Audemus dicere, humili ſubiectione, & non temeraria præſumptione.

De oratione Dominica. Cap. XII.

POST Canonem ſequitur hæc tertia pars principalis Miſſæ, quæ ſecundum multos incipit ab Oremus præceptis, &c. Hæc Oratio Dominica ab ipſis Apoſtolis in Miſſa fuit vſurpata ſecundum omnes, quæ Miſſa non alijs conſtabat partibus, quam conſecratione, & oratione Dominica, vt alibi diximus, ex Greg. lib. 7. epiſt. 63. Chriſtus Dominus Apoſtolos docuit, vt quotidie in eius Corporis ſacrificio credentes, audeant dicere: Pater noſter, &c. ita ſcribit Hier. lib. 3. aduerſ. Pelag. Orationem Dominicam nõnulli tribuunt S. Gregorio & inter alios Rupert. lib. 2. cap. 15. quod intelligendum eſt, vel dictum Pontificem reſtituiſſe Miſſæ, vel determinaſſe tempus ante ſumptionem Sacramenti: S. enim Ambroſius lib. 5. de Sacram. cap. 4. teſtatur, dictam orationem Dominicam poſt Canonem recitari, & forte, vt ait Gauant. vbi ſup. S. Gregor. hoc idem ſanciuit, vel decreuit, eam à ſolo ſacerdote dici, non à Populo, vt mos erat apud Græcos, & habetur in liturgia S. Petri græca; vnde præfatum Pontificem lib. 7. epiſt. 63.

Innoc. III. lib. 5. de Myſterio Miſſæ vnà cum alijs iunioribus ſentit, eandem Dominicam Orationem intra Sacrum Miſſę Canonem contineri, adeo vt ea ſit ipſius Canonis finis, ſed Alcuin. lib. de reb. eccleſ. in cap. de celebrat. Miſſæ, & cæteri Innocentio antiquiores eam poſt Canonis verba legi teſtantur, quod probabilius exiſtimat Azor. in lib. Inſtit. moral. p. p. lib. 10. cap. 35. & rationem affert, quia huiuſmodi oratio

omni-

Digitized by Google

omnibus habetur in liturgijs,vt ex Amoroſio lib.5. de Sacram. loc. cit. Hieronymo, Auguſtino, Gregorio, & alijs, quę Oratio nobis inſinuat, Chriſtum Dominum in Cruce pendentem, omnium calumniarum, & cruciatuum à Iudæis, & Gentilibus receptorum,eſſe oblitum,immo pro illis apud ſuum Patrem ęternum preces fudiſſe, dicendo: Pater dimitte illis, non enim ſciunt,quid faciunt, vt habetur apud Luc. cap. 23.

Dicitur alta voce ex liturgia S.Petri citata, tum quia communis eſt oratio, vt ex Cypriano ſerm. 6. notat Amal. cap. 9. tum quia hac ratione populus eam memoriæ mandare poteſt, ex epiſt.42. inter 50. tandem,vt ait Durand.lib.1.cap.47. quia eſt deſumpta ex Euangelio. Dum Sacerdos Orationem Dominicam profert manus extendit, exemplo Moyſi orantis, & ſurſum manus eleuat, vt cordis feruorem, & rectam intentionem in Deum oſtendat, & quidem hac in oratione pro bonis acquirendis oratur, & pro malis vitandis, pro bonis temporalibus, ſpiritualibus, & æternis, quę oratio alias omnes in multis orationes præcellit, primò in auctoritate, quia eſt à Chriſto Domino compoſita, ſecundò in breuitate, iuxta illud Matth. cap. 6. Cum oratis, nolite multum loqui; Hæc igitur paucis verbis multa complectitur, quare S. Auguſtinus ad Probam ſic ſcripſit: Si omnium Sanctarum precationum verba tranſcurras,quantum æſtimo, non inuenies,quod iſta Oratio Dominica non contineat. tertiò in exaudibilitate eò quia magis exaudibilis eſt alia quacunque oratione, cum hęc magis Deo placeat, cum eam ipſe compoſuit,vt ait Cyprian.in ſerm.6.

Pater noſter. Deus eſt Pater noſter, non naturali generatione, ſed prędeſtinatione,creatione,redemptione,gubernatione,inſtructione,& adoptione.

Dices primò cur potius orationem iſtā Dominicalem inchoauit,dicendo,Pater,& non Dominus, vel Deus,ſiue Creator?

Reſpondeo, quod huiuſmodi nomina ſunt timoris, ſed Pater eſt nomen amoris,& quia nos paternè diligit, vult filialiter diligi, propterea dixit Pater.

Dices

Digitized by Google

Dices ſecundò, quare dixit Pater noſter, & non Pater meus?

Reſpondeo, quod meus eſt ſolius vnigeniti Filij Verbi in diuinis; ſed dicitur Pater noſter, quia eſt omnium mortalium generalis Pater. Qui es, hoc complexum, qui es, propriè acceptum, ſoli Deo conuenit, & tunc propriè accipitur, quando importat purum eſſe, in quo nihil eſt præteritum, vel futurum, ſed tantum ſemper eſſe æternum, iuxta illud Exod. cap. 3. Fgo ſum, qui ſum, vt de ſe dicit Dominus, & ad Moyſen, qui eſt miſit me.

In Cælis. Dices tertiò, cur dixit, qui es in Cælis, cum Deus ſit vbique per eſſentiam, præſentiam, & potentiam?

Reſpondeo, ita dixiſſe, vt nos non terrena, ſed Cæleſtia appetere doceret; iuxta illud Apoſt. ad Coloſ. c. 3. dicentis: Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quę ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram; Deinde dixit in Cælis, vt nobis locum oſtenderet, ad quem creati ſumus; Vide Nauar. de orat. cap. 19. n. 104.

Sanctificetur nomen tuum; petimus hic non in ſe, ſed in nobis nomen Domini ſanctificari, hoc eſt, vt à nobis Sanctum habeatur, & honoretur, vt S. Auguſtinus de ſerm. Domini in monte docet. Adueniat regnum tuum, ideſt, fac nos peruenire ad regnum tuum, & petimus hic principaliter, vt gloriæ regnum, quo perfruuntur Beati, nobis adueniat, ita S. Cyprianus in ſerm. Domini in monte. Fiat voluntas tua ſicut in Cælo, & in terra. Dices quartò velimus, vel nolimus ſemper, & vbique fiat voluntas Dei, vt apud Iſa. cap. 46. Omnis voluntas mea fiet; quomodo igitur dicimus: fiat voluntas tua?

Reſpondeo, quod hic petimus, vt nobis gratiam largiatur promerendi beatitudinem, gloriamque æternam; itaque petimus non ſolum, quod fiat, quod Deo libuerit, ſed etiam, vt faciat nos ſuam in terra voluntatem adimplere, ſicuti impletur in Cælo, ideſt, vt veluti in illo omnes Beati charitate, & amore ſuam voluntatem implent, eodem modo nos idem in terra faciamus;

ciamus; vel tua voluntas Domine Deus, vt fit in Cæli ciuibus, ita fiat in terra, ideſt in ciuibus terræ? Vide Planterium in hym. Eccl. n.41.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; hic vitæ præſentis neceſſaria petimus cum per panem omnia neceſſaria intelligantur; iuxta illud Eccleſ. cap.29. Initium vitæ hominis panis, & aqua, & in primis petimus, dari nobis Sanctum Sacramentum Altaris, ſub quo cætera ſubintelliguntur, quæ ſunt media, & inſtrumenta ad beatitudinem promerendam, Vide S. Thom. 2.2.q.83.art.9. dicit hodie, volens à nobis ſuperflua tollere, ſimulque temporalium ſollicitudinem; Vnde inquit Chriſtus Dominus apud Matth. cap. 6. Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum.

Et dimitte nobis debita noſtra; hic peccatorum noſtrorum remiſſionem petimus, & principaliter peccati lethalis clarè, & directè beatitudinem impedientis.

Sicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris; niſi enim dimiſeritis, nec Pater veſter Cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra; quare ait S.Bernardus: Si vis vt peccata tibi à Deo dimittantur, omnis rancor, & indignatio à corde tuo euellatur, & manifeſtè patet non intelligi de debitis pecuniarijs, ſed de iniurijs, vt S.Greg. 10. moral.

Et ne nos inducas in tentationem; petimus in hac petitione victoriam contra tentationem, & non ſimpliciter non tentari, quia Deus tentat tentatione probationis, & exercitationis; ideo dicit Propheta Dauid in pſal. 25. Probæ me Domine, & tenta me, & non ſuperari, ac vinci à tentatione.

Sed libera nos à malo; petimus hic ab omni malo præſenti liberari, cum mundus totus periculis ſit plenus, plura vide apud Dionyſ.Carth.ſup. cap.6.Matth.

Amen; non reſpondetur Amen à Miniſtro, vel à Choro, ſed ab ipſo met Sacerdote ſub ſilentio, ſed tantum reſpondet, ſed libera nos à malo; ita teſtatur Durand. cap. 49. & ratio cur ſecreto reſpondet ipſe Sacerdos, eſt ad inſinuandum, quod nos

latet,

Digitized by Google

latet, an exaudiamur in Dominica Oratione, & Deus vult hoc latere, ne torpeamus. Ruff. lib. 2. cap. 69. Secunda ratio eſſe poteſt, quia ſi alta voce Sacerdos proferret Amen, quo affirmatur Orationem Dominicam eſſe exauditam, præſumptio, & quædam Sacerdotis oſtentatio iudicari poſſet.

De Silentio poſt Orationem Dominicam. Cap. XIII.

DICTA Oratione Dominica ſacerdos accepta patena inter indicem, & medium digitos, dicit: libera nos quæſumus. habet ordo Romanus. Aliqui volunt à S. Gregorio cum præfatione prædicta additum eſſe, vt expreſſe docet Gem. lib. 1. cap. 90. & innuit Radulph. propoſ. 23. quæ oratio Emboliſmus, vel ſuper excreſcentia appellari ſolet, eò quod nihil in ea petitur, quod in Oratione Dominica non ſit petitum, nec tamen eſt ſuperflua, quia ſi in illa diximus: libera nos à malo; in iſta dicimus, libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis, & ſubdit à quibus malis, ſcilicet, à præteritis, præſentibus, & futuris, additur etiam tranſitus ad orationem pro pace, dum dicit ſacerdos, ſignans ſe cum patena à fronte ad pectus dicens, & intercedente Beata, &c. quæ quidem oratio dicitur ſimiliter ſubmiſſa voce ad ſignificandum, quod Chriſtus interdum à prædicatione ſiluit, vel ſignificare poteſt hoc ſilentium diem Sabbati, quo Chriſti Corpus in ſepulchro quieuit, tunc enim nemo fidem prædicauit; vnde Luc. cap. 23. inquit, Mulieres, quæ parauerant vnguenta, Sabbato quidem ſiluerunt.

Dices, cur in die Paraſceue Eccleſia Romana orationem iſtam, libera nos, &c. non ſub ſilentio, ſed alta voce recitat?

Reſpondet Durand. lib. 4. cap. 49. quia Chriſtus non ſiluit, ſed eius anima ad liberandos Patres, & de Lymbo illos edu-

Digitized by Google

cendos, deſcendit, vt fortior ſuperueniens fortem armatum ſuperaret, & quia de tribus malis narratis veniam promereri ſacerdos eſt dignus, niſi ei concedatur oratione Beatæ Virginis, & Beatorum Petri, & Pauli, atque Andreæ, & aliorum Sanctorum, ideò hic illorum patrocinium inuocat; hæc oratio habetur in liturgia S. Petri; ſed nomina Petri, & Pauli poſt mortem eorundem fuerunt addita, & nomen Andreæ non eſt cum ijs, & quia habetur in ritu Ambroſiano, vnà cum Ambroſij nomine, vtriuſque nomen à recentioribus additum fuiſſe patet; vide Gauant. par. 2. tit. 10. littera S.

Dicet, cur potiùs iſtorum, quàm Sanctorum aliorum patrocinium imploratur?

Reſpondetur, quia quatuor iſtæ perſonæ, quarum ſuffragijs nititur celebrans, magis fuerunt configuratæ paſſioni Chriſti; quoniam Beata Virgo Maria, cuius animam doloris pertranſiuit gladius in hora ſui Filij paſſionis, iuxta Crucem lacrymoſa ſtetit. Petrus corpore tranſuerſo crucifixus eſt, ne Magiſtro ſuo Chriſto crucifixo æqualis videretur. Paulus, qui & ſtygmata Domini Ieſu in ſuo corpore portauit. Andreas tandem, qui Crucifixi amore Crucem, in qua eſt paſſus, tanquam amatam ſuam ſalutauit, dicens: O bona Crux diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, &c.

De Reſumptione patenæ. *Cap. XIV.*

QVONIAM poſt paſſionis mœrorem ad reſurrectionis gaudium peruenitur iuxta pſal. 29. Ad Veſperum demorabitur fletus, & ad Matutinum lætitia; ideò ſacerdos accipiens patenam cum ea ſigno S. Crucis ſe munit, & eandem poſtea oſculatur; ita ordo Romannus, ad ea tamen verba: Da propitius pacem, quaſi per huiuſmodi oſculum à Deo pax petatur: ait Innoc. III. lib. 6. cap. 1. quod ſignabant faciem tantum cum patena ſigno Crucis; ſed ſignatio à fron-

Digitized by Google

à fronte ad pectus, ſignoque Crucis integro eſt congruentior, vt Sacra Rituum declarauit Congregatio die 13. Martij 1627. quod autem ſuper patenam Crucis ſignum ſignat, repræſentatur, qualiter Sacerdotum Principes, & Phariſæi lapidem cum cuſtodibus ſignauerunt, vt habetur Matth.cap.27. & dum celebrans ſignat ſe cum patena, & illam poſtea oſculatur, id facit ad inſinuandum, quod ſi per paſſionem Filij reconciliamur Deo Patri, erimus & hæredes cæleſtis Regni iuxta illud Apoſtoli; Si compatimur, & conregnabimus, & cupiens ſe ſanctificari ſacerdos, ſicut & Cruce ſanctificata fuit hoſtia ab illo, vt Durand. cap.54.

In Miſſis ſolemnibus ſacerdos patenam oblatam recipit ad ſignificandum, quod Chriſtus omnes ad ſe ex charitate redeuntes cum deſiderio recipit; quod manifeſtum eſt, quod ſtatim Mariæ præſentanti, & alijs ſe manifeſtauit; vt Io: cap. 20. vide Durand. vbi ſup. cap. 50.

Deinde ſacerdos hoſtiam mediante fractione ad ſumptionem aptat, quæ ab Apoſtolis iuxta Chriſti Domini exemplum fuit inſtituta, vt colligitur ex Apoſtolo Paulo 1. ad Cor. 10. & manifeſtè habetur apud S. Dionyſium cap. 3. de Eccleſ. Hierar. vt notauit Steph. Durant. lib. 2. de rit. Eccleſ. cap. 51. num. 1. & 8. & non habuit originem à Sergio Papa, vt inquit Albertus Magnus tract. de Miſſ.

De Fractione Hoſtiæ. Cap. XV.

SACERDOS reſumpta patena diſcooperit Calicem tollens hoſtiam ſuper illum per medium frangit, dicens: Per eundem Dominum noſtrum, &c. Frangit, inquam, ſuper Calicem ex Radulph. cap. 23. ad cautelam, inquit, Hugo Victorin. de Spec. obſer. miſſ. lib. 2. cap. 39. quæ fractio à ſuperiori hoſtiæ parte incipit, ſicuti ſignum Crucis ab eadem ſuperiori parte incipit, & tres in partes hoſtiam

Digitized by Google

diuidit, quarum vnam in calicem mittit, de qua diuiſione vide D. Thom. 3. par. quæſt. 83. art. 5. ad 7. & 8. & Alex. 4. par. tract. de miſſ. par. 2. Dum igitur ſacerdos diſcooperit calicem ſignificat, quod Angelus Domini lapidem ab oſtio monumenti reuoluit, & linteamen amouit, & ideo ſuper patenam hoſtiam ponit, & inde eam tollens ſuper calicem frangit. Frangitur quidem hoſtia, quia Chriſtus Dominus benedixit panem, & fregit, & illum fractum diſcipulis diſtribuit; ideò ſacerdos legem, & Chriſtum ſequens, conſecratum panem tres in partes diuidit, vt in panis fractione Dominum agnoſcamus, ſicuti & illi duo diſcipuli Dominum cognouerunt in Caſtellum Emmaus euntes, vt habetur apud Matth. cap. 26. & Luc. cap. 24. tres diuiditur in partes hoſtia ſacra, vt ſanctiſſimæ Trinitati aſſignetur illa, vel ſic diuiditur in memoriam triplicis ſtatus hominum, videlicet exiſtentium in Purgatorio, Viatorum, & Beatorum, Prima pars, quæ eſt cæteris maior aſſignatur pro iuſtorum honore, & gloria, cùm enim ſint Beati, ſatiantur de Chriſti plenitudine, vnde in pſal. 16. habetur: Satiabor cum apparuerit gloria tua; Altera pars hoſtiæ pro exiſtētibus in Purgatorio aſſignatur pro quibus ſacerdos peccatorum remiſſionem mediante hoc ſacrificio obtinere deprecatur; tandem tertia pars hoſtiæ aſſignatur pro viatoribus, qui nondum ſunt facti gloriæ participes, & ideò particula illa nondum coniungitur, ſed miſſa in calicem, ſanguini in dicto calice exiſtenti commiſcetur, & ideò particula iſta ſanguini intingitur, ad ſignificandum, quòd niſi in hoc mundo paſſionis ſocij fuerimus, non dabitur nobis reſurrectionis gloriam conſequi iuxta illud Pauli ad Cor. 2. cap. 1. Scientes quoniam ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis; poteſt etiam ſignificare hæc pars hoſtiæ in calicem demiſſa Sanctos, qui adhuc in terris viuunt, & paſſiones ſint paſſuri, donec de hac vita migrantes ad caput ſuum tranſeant, vbi non tanget illos tormentum mortis, vt Sap. cap. 3. ad ſignificandas igitur hoſtiæ fractiones, refert Durand. vbi ſup. verſus ſequentes.

Tres

Digitized by Google

Tres partes fractæ de Chriſti corpore ſignant,
Prima ſuam carnem, ſanctoſque ſecunda ſepultos,
Tertia viuentes, hæc eſt in ſanguine tincta,
Martyrij calicem guſtant in carne fideles.

Significat quoque commixtio iſta communionem corporis, & animæ in Chriſto, cum poſt reſurrectionem fuit iterum diuinitus corpus cum anima coniunctum, ne eius caro corruptionem pateretur, iuxta pſal. 15. Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem, & etiam denotare poteſt præmiſſa commixtio, quod Chriſti corpus non fuit ſine ſanguine, nec ſanguis ſine corpore. Vide Microlog. cap. 18. & 23.

Non eſt prętermittenda mentio de vocis eleuatione, facto ſilentio dum dicit ſacerdos: Per omnia ſæcula ſæculorum. Sciendum eſt enim poſt durum Crucis patibulum, Chriſtus Dominus, qui in pace dormierat iuxta pſal. 4. In pace in idipſum dormiam, & requieſcam, beatæ reſurrectionis præmia certiſſimè expectans, à ſomno tandem dictæ reſurrectionis exurrexit, & ſuis caris diſcipulis manifeſtus apparuit, & propterea dum ſacerdos vocem eleuat dicens: Per omnia ſæcula ſæculorum; Dominicæ reſurrectionis gaudium deſignat, cui vocis eleuationi mox adiungit dicens: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, quæ pacis annunciatio indicatur à Dionyſio cap. 3. de Eccleſ. Hierar. & à S. Clemente lib. 8. conſt. Apoſt. cap. 18. & ſignificat quemadmodum Chriſtus Dominus à mortuis reſurgens ſæpè ſuis diſcipulis pacem obtulit, vt apud Io: cap. 20. cui pacis annunciationi omnis populus reſpondebat: & cum ſpiritu tuo; quis autem fuerit auctor dictæ pacis annunciationis, non dum eſt certum, quia Hugo Victor. de off. eccleſ. lib. 2. cap. 11. refert in Ambroſium. Gemma lib. 1. cap. 90. tribuit Innoc. 1. tandem Rabanus lib. 1. in addit. tradit cum particula quatuor calicis latera tangi, ſed in vſu eſt, quod à labio ad labium Cruces formentur ſine tactu.

Hæc commixtio, &c. habetur in ordine Romano & Microl. vbi ſupra. Non quod ipſa actio commiſcendi, & conſecrandi

nos

nos ſaluet; ſed commixtionum deuotio ſumpta prodeſt nobis ad ſalutem æternam. Vide Bell.lib.2.de miſſ.cap.28.ad 1.

De Agnus Dei. Cap XVI.

POSTMODVM ſacerdos iunctis manibus, & ter pectus percutiens, dicit, Agnus Dei, deprecationem hanc triplicans, & in ſingulis pectus percutiens, denotat, quod triplicem dictam pacem poſtulat, quæ non noſtris meritis, ſed diuina miſericordia nobis eſt conferenda, & ideo dicit primis duabus vicibus, Miſerere nobis, & tertia, Da nobis pacem, vt optimè aduertit Alexand. Alenſis, 4.par.tract.de miſſ. par.2. in miſſis autem Defunctorum, non dicitur: Dona nobis pacem: ſed dona eis requiem: quia immobili decreto operum ſuorum finem, ac terminum ſunt adepti, vt notauit Iacobus Bayus lib.3.de Euchar. cap.40. vide præfatum Alexandrum vbi ſupra, & Gabr. lect 81. in can. miſſ. qui addit, quoniam animabus in Purgatorio exiſtentibus triplex optatur requies à triplici videlicet afflictione, nimirum à pœna ardoris, à corporalibus tenebris, & ab afflictione beatitudinis ſpectatæ; primæ duæ requies ſi accipiantur cum præceſſione tertiæ, ſunt temporales, ſed tertia æterna; ideò tertiæ non impetratur ſimpliciter requies; ſed cum addito requies ſempiterna. Dicitur autem Agnus ab Agon voce græca, idem ſignificante, quod latinè pius, dicitur etiam Agnus ab innocentia, quia hoc animal nec hominibus, nec beſtijs nocet, agos etiam græcè, latinè purus, & caſtus dicitur; quod hoſtia ſit pura, & immolationi apta, ter dicit ſacerdos, Agnus Dei, bis miſerere nobis, ad inſinuandum, quod dum ſumus in mundo, vel in Purgatorio, Dei miſericordia indigemus, deinde dicit: Dona nobis pacem, vt certos nos reddat in beata patria, & triumphali Ieruſalem, quæ, vt canit Eccleſia, eſt dicta pacis viſio, ibi pacem, & perfectam requiem nos habituros, & ſicuti in ve-

teri teſtamento pro peccatis populi Agnus offerebatur, ita & ſe ipſum obtulit, vt genus humanum ſaluum faceret, & à peccatis in ſanguine ſuo lauaret, & ſicut in liturgia Sancti Petri ſemel dicebatur Agnus Dei, ita deinde, vt ter diceretur, ſtatuit Sergius, quem omnes faciunt auctorem, vt ait Baron. An. 701. tom. 8. vel ter dicitur propter trinam portionem hoſtiæ, vt putat Iuo Carnotenſis ſerm. de conuen. noui, & veteris ſacrificij, & in fine ter dicebatur Miſerere nobis, vt hodie quoque in Baſilica S. Ioannis Lateranenſis in Vrbe ſeruatur ex Alberto de off. miſſ. & Durand. cap. 52. teſtatur; poſtea verò auctore Innoc. III. in lib. 6. de myſt. miſſ. cap. 4. irruentibus varijs perſecutionibus, & erroribus, cœpit vbique ferè dici tertiò: Dona nobis pacem, quod tamen Angelus Rocca lib. 1. de campanis, cap. 18. in Ioannem XXII. refert. Dicitur tandem ter Agnus Dei, quia petimus nobis dimitti peccatum cogitationis, locutionis, & operationis.

In miſſis ſolemnibus, dum fit communio cantatur à Choro, Agnus Dei, vt omnes credamus, quia ipſius Agni corpus, & ſanguis tunc ſumitur, qui abſtulit peccata mundi, & mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit Chriſtus Dominus noſter, vt canit Eccleſia in Præfat. Paſchali.

Dices primò, cur Chriſtus dicitur Agnus Dei?

Reſpondet Theophilus ſuper Euangelijs, quia Deus Pater eum dedit pro noſtra ſalute in mortem, ſicut & nos dicere ſolemus, hæc oblatio eſt talis hominis, ideſt quam talis homo obtulit, ſic, & Chriſtus dicitur Agnus Dei dantis illum pro noſtra ſalute.

Dices ſecundò, quare magis dicitur Agnus Dei, quàm Ieſus, vel Chriſtus, qui tollis peccata mundi.

Reſpondet Alexand. Alenſis 4. par. ſum. quæſt. 116. conuenienter hoc fieri triplici ratione, quarum prima eſt propter veritatis repræſentationem, quæ in Agni Paſchalis immolatione figurabatur. Secunda eſt propter veritatis prophetizatæ prænunciationem de Agni emiſſione ad immolandum pro humani

gene-

generis reparatione, iuxta illud Iſai. cap. 16. Emitte Agnum Domine dominatorem terræ de petra deſerti, tertia eſt propter veri Agni oſtenſionem digito Ioannis Baptiſtæ præcurſoris, qui verum Agnum oſtendit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Notandum eſt, quòd dicitur etiam Agnus ab agnoſcendo, quoniam in magno grege ſolo balatu matrem agnoſcit, ſic & Chriſtus in ara Crucis Beatam Virginem Matrem agnouit, dicens Ioanni apud eundem cap. 20. Ecce Mater tua, meritò igitur oratio ad Chriſtum dirigitur ſub nomine Agni.

Dices tertiò, cur Chriſtus dicitur potius Agnus, quàm aliquod aliud animal?

Reſpondet Origenes ſuper Matth. quod ideò dicitur potiùs Agnus; quia in oblationibus quotidianis mane, & veſpere offerebatur; vel quia, vt ait Lyranus per Agnum Paſchalem expreſſè figurabatur paſſio Domini. Dicitur etiam potiùs Agnus propter manſuetudinem; nam ſicut Agnus ad macellum ductus non conqueritur; ita Chriſtus ad mortem ductus patienter Crucem ſuſtinuit, quod prædixit Ieremias cap. 51. quaſi Agnus manſuetus ad victimam, & Iſai. cap. 53. Tanquam Agnus ad occiſionem ducetur.

Dices quartò, quare ſacerdos dum dicit Agnus Dei percutit ſibi pectus?

Reſpondeo id agere ad ſignificandum quemadmodum poſt Chriſti mortem, omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum illud, percutientes pectora ſua reuertebantur, vt habetur Luc. cap. 23. & dum tertia vice dicit ſacerdos: Dona nobis pacem, denotat veluti Chriſtus eſt ille, qui dare poteſt remiſſionem peccatorum, & facere pacem hominibus apud Patrem intercedendo pro peccatis omnium populorum, vt ait Apoſtolus ad Hebræos cap. 5.

Dices quintò, quare Agnus Dei operto calice cum palla dicitur ter ad tollenda peccata.

Reſpondeo, quia ianuis clauſis ingreſſus eſt Chriſtus ad Apo-

Digitized by Google

Apoſtolos, dicens: Io: cap. 20. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur: Ita Innoc. III. lib. 5. cap. vlt. cum Durand. cap. 51. & Gauant. p. 2. tit. 16. n. 27.

Dices tandem Sacerdos non deberet pacem appetere, quia iſtam Dominus prohibet apud Matth. cap. 10. dicens: Non veni pacem mittere, ſed gladium.

Reſpondetur, quod duplex eſt pax, quædam apparens, & non vera, vt eſt illa, quæ inter malos reperitur ad peccata committenda, ſicut latrones, adulteri, &c. inter ſe conueniunt, & quoniam iſtorum concordia eſt mala, idcirco Dominus non venit pacem mittere inter eos, ſed ſeparationem, vt Luc. cap. 12. Alia eſt pax bona, quæ eſt inter bonos, quam venit Dominus mittere, dicens Io: cap. 14. Pacem relinquo vobis, & de iſta loquitur Dauid in pſal. 36. dicens: Manſueti delectabuntur in multitudine pacis.

De oſculo pacis. Cap XVII.

POSQVAM Rex pacificus Chriſtus Dominus noſter ſuos charos ſalutauit Apoſtolos, iterum dixit eis: Pax vobis, vt habetur apud Io: cap. 10. ad ſignificandum, quod nos non ſolum in ore pacem habere debemus, ſed etiam in pectore, ne nobis inter illos adſcribi contingat, de quibus loquitur pſal. 27. Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum; hoc eſt, qui ore, & verbo ſimulant pacem cum proximis ſuis, vt mala meditentur aduerſus illos in cordibus ſuis, & ideo poſtquam dixit ſuis Apoſtolis: Pax vobis, inſufflauit in illos, hoc eſt infudit Spiritum Sanctum, vt legitur apud Io. cap. 20.

Sacerdos manibus iunctis ſuper Altare poſitis, & oculis ad Sacramentum intentis, dicit ſecreto hanc orationem: Domine Ieſu Chriſte, quæ oratio non eſt apud antiquos, ſed habetur

Digitized by Google

in Miſſali M.S. Vaticano vol. 4743. cum duabus ſequentibus, & primam indicat Durand. cap. 53. & in Miſſis ſolemnibus ſi Sacerdos eſt daturus pacem, finita illa prima oratione, oſculatur Altare in medio, & dans pacem per oſculum Diacono dicens: Pax tecum, tabellam verò ſacram ad oſculum pacis, ita dictam, & in vſum inductam aſſerit Baron. an. 45. num. 26. tanquam cautelam contra fraudes, quæ diabolica arte inter ſe inuicem oſculantes irrepſerant, & ex apoſtolica inſtitutione datur pax per oſculum, vnde Paulus ad Rom. cap. 16. & 3. Corin. cap. 16. inquit, ſalutate vos inuicem in oſculo ſancto.

Berno Augienſis de off. Miſſ. cap. 25. cenſet hoc loco dari pacem decreto S. Leonis II. ſed quam plurimi referunt in Innoc. I. ex epiſt. 1. eiuſdem cap. 1. Ad decentiam, de conſec. diſt. 2. & ait Innoc. III. lib. 6. cap. 5. cum ceſſaſſet communio populi quotidiana in Miſſa, loco communionis Sacramentalis, pacis oſculum fuiſſe inſtitutum a Chriſto Domino, exemplo ſumpto, qui in nouiſſima cœna pacis meminit, dicens apud Io: cap. 14. Pacem meam do vobis, quod aduertit Vualaridus Strabo tom. 3. tit. 4. cap. 41. Vide Albaſpin. de Vetuſtate Eccl. Rit. lib. 1. obſer. 17.

Dum Sacerdos in miſſis ſolemnibus præbet oris oſculum Diacono, denotatur, quod pax ſpiritualis data eſt à Chriſto generi humano. Diaconus poſtea dat Subdiacono, & Subdiaconus alijs, ad inſinuandum, quod omnes, & præſertim filij Eccleſiæ debent pacem habere, & datur ante communionem, ad denotandum, quod communio non competit diuiſis, vt notat S. Dionyſius in lib. de Eccleſ. Hierarch. dum dicit: Hanc itaque vnicam, & vniformem, atque indiuiduam vitam ſac ra illa pacis conciliatio ſancit ſimile, in ſimili collocans, &c. de quo pacis oſculo S. Chryſoſt. hom. 51. ad populum Antioch. inquit; In myſterijs alter alterum amplectitur, vt vnum multi ſiamus.

Dices, quare in Miſſis Defunctorum celebrans non dat pacem?

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondet Amalr. lib. 3. cap. 44. & ante eum Alcuin. cap. de exequijs mortuorum, quia dare pacem eſt indicium lætitiæ, quod Defunctorum miſſæ non conuenit, ſed Durand. lib. 4. cap. 53. affert cauſam, quia Defuncti non erunt vlterius in turbatione hominum, ſed iam in Domino quieſcunt; Vnde pacis oſculo non indigent, quod eſt pacis, & concordiæ ſignum, ſed potius illis opus eſt requies, & idcirco omittitur oratio illa prima Domine Ieſu Chriſte, &c. nec ipſe celebrans pacem ab Altari recipit. Secundò reſpondent alij, non dari pacem in Miſſa Defunctorum triplici ratione, quia hoc officium triduanam Chriſti ſepulturam veſtigio ſequitur, vbi pax non datur propter Iudæ oſculum deteſtandum. ſecundo quia non communicamus cum mortuis, qui nobis reſpondere nequeunt. tertiò quia de illis neſcimus adhuc, vtrum ſint ipſi de conformitate Eccleſiæ, & pacem habeant cum ſuo Creatore, ſed tantum viuis datur pacis oſculum, ad ſignificandum, quia reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius vt Paulus ad Rom. cap. 5. Vide Albaſp. vbi ſupra qui fuſius de pace agit. Panem cæleſtem accipiam. habet Durand. cap. 54.

De ſumptione Hoſtiæ, & ſanguinis. Cap. XVIII.

PROCEDIT Sacerdos ad principaliſſimum intentum in hoc ſacroſancto, ac tremendo Miſſæ ſacrificio, videlicet ad ſumptionem hoſtiæ, & ſanguinis, & quia illa eſt vita bonis, & mors malis, ideo ante illius ſumptionem orat, ne panis ille, qui de Cælo deſcendit ad præbendam vitam hominibus, ſit ſibi propter ſua demerita damnationis cauſa; ſed antequam hoc Sacramentum ſumat, percutiens pectus, eleuata aliquantulum voce, deuotè, & humiliter dicit: Domine non ſum dignus, &c. eodem modo fuit additum, vt ſupra ex Origene

Digitized by Google

exemplo celebrantis, qui hom. 5. ait, commune fuiſſe omnibus communicaturis.

Notandum eſt, quod dicendum eſt ſemper in genere maſculino, & ſic errant moniales illæ, quæ, tacente Sacerdote, dicunt: Domine non ſum digna, &c. tum quia mutantur verba à Centurione accepta, & à Rubrica non mutata; tum quia expreſſe dici iubetur pro fœminis quoque, Domine non ſum dignus, vt optimè aduertit Gauant. in theſ. ſac. rit. p. 2. tit. 10. littera h; deinde Sacerdos Corpus, & Sanguinem Domini ſumpturus, ſe cum illis ante faciem Cruce ſignat: quoniam ſicut antea faciendo Cruces actiuè tanquam Miniſter illa ſanctificauit, ita nunc ſe eis Cruce ſignando, paſſiuè petit ſanctificari ſimul dicens, Corpus Domini noſtri, &c. reuerenter ſumit Hoſtiam, quam ſumere tenetur, ex Can. 8. Apoſt. cap. 13. quæ verba in Euchariſtiæ diſtributione dicuntur, teſte Alcuino de Sabbato ſancto. Habetur in lib. 8. conſt. Apoſt. cap. 13. & lib. Sacrament. S. Gregorij. Microlog. cap. 18. aſſerit, dici ex religioſa traditione, ſed reperiuntur apud Io: Diac. in vita S. Gregorij, & in conc. Rhotomagen. cap. 2. & quando celebrans porrigit Sacramentum, facere debet cum eo ſignum Crucis ſuper Pyxidem, vel Patenam ſimul dicens. Corpus Domini noſtri, &c. vt S. Thom. opuſc. 65. cap. 4. & qui communicant, in Crucis formam manus componere debent, ex ſynodo 6. in Trullo can. 102. vt refert Gauant. vbi ſupra. Dicto igitur: Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c. ſumit Sacerdos reuerenter ambas partes hoſtiæ, deinde, poſtquam orauit aliquantulum, inclinans ſanguini, & dum colligit fragmenta, ſi quæ ſint, dicit: Quid retribuam Domino, &c. leguntur hi verſus apud Duran. cap. 54. reliqua ſunt neceſſaria, & valde congrua; poſtea accipit Calicem, & cum illo ante pectus ſe ipſum ſignans, dicit: Sanguis Domini noſtri, &c. ſumens totum ſanguinem cum particula, quo ſumpto, ſi qui ſunt communicandi, antequam ſe purificet, eos communicet, & in miſſis ſolemnibus, dum celebrans alios communicat, Subdiaconus ſtare debet à ſiniſtris

cele-

Digitized by Google

celebrantis, Diaconus in cornu epiſtolæ, purificationem cum Calice miniſtrat ijs, qui de Clero ſunt, nõ Laicis, quibus purificationem dabit alter è Clero. Diaconus autem eo caſu ad dexteram celebrantis accedit, & Patena ſub mento communicantium non eſt tenenda, quia ad Epiſcopalem attinet maieſtatem, vt bene aduertit Gauant. vbi ſupra. Sacerdotes communicant cum ſtola de collo pendente ex conc. Braccar. 3. can. 3. & Diaconi itẽ cum ſtola ab humero ad pectus præcincta. Ante Altare quoque vna cum leuitis, & Clero. Laici verò extra Chorum, ex conc. Tolet. 4. cap. 17. à quo ſemper excluduntur lib. 2. Apoſt. conſtit. cap. 57. vt oſtendatur honos Cleri, à Laicis diſtinctus, & vt Clerus liberius diuinis inſeruiat, inquit Carol. Nouar. Epiſc.

Dices, an Euchariſtia ſit vnum, vel plura Sacramenta?

Reſpondet S. Thom. 3. p. q. 77. ar. 2. quod eſt vnum formaliter, ſed multa materialiter: quia duo concurrunt, ait iſte Doctor Angelicus, nimirum ſpiritualis cibus, & ſpiritualis potus, & ideo in collecta primò dicitur. Purificent nos Domine Sacramenta quæ ſumpſimus, & poſtea ſingulariter dicitur: Hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam, &c. ad oſtendendum, quod, quodammodo multa, ſimpliciter autem vnum. His peractis Sacerdos complicat corporale, componit calicem, & cooperit velo burſa ſuper poſita.

De Communione. Cap XIX.

PVRIFICATO celebrante, dum Calicem collocat in Altari, liber Miſſalis defertur per miniſtrum ad cornu epiſtolæ, ibi finitur Miſſa, vbi nimirum eſt cæpta, inquit Amolar. lib. 3. cap. 36. & idem ait Iuo Carnot. ſerm. de Conuen. veter. & noui ſacrif. initio, & in fine ſerm. & clare docet hunc ritum Durand. lib. 4. cap. 57. & Microl.

cap. 19.

cap. 19. de orationibus poſt communionem mentionem facit; itaque Sacerdos proſequitur Miſſam, dicens verſiculum illum, qui dicitur Communio, quæ à pluribus appellatur poſtcommunio, quoniam cantatur poſt communionem, quæ Antiphona nuncupatur communio, à cum mutato O, in V, quod ſignificat ſimiliter, & vnio, ideſt vnitus, ad denotandum, quod certi nos reddamur virtute huius Sacramenti eſſe vniti cum Deo, & cum Angelis, & cum proximo, quæ communio ſignat Ieſu Chriſti vnitatem cum ſancta Eccleſia, non modo per gratiam, ſed etiam per reale huius Sacramenti præſentiam, ſicut ipſemet Chriſtus Apoſtolis, & omnibus Sacerdotibus futuris promiſit apud Matth.cap.vlt. dicens: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi; dicitur etiam Communio, quia eo tempore ſolebant fideles communicare, & inter communionem canebant pſalmum 33. qui continet in ſe verſiculum illum valde accommodatum ad huius Sacramenti ſumptionem, videlicet, Guſtate, & videte quam ſuauis eſt Dominus, & quamuis hoc tempore non ſemper in hoc loco fiat communio, nomen tamen iſtud; Communio, remanſit. Quis autem ſpecialiter introduxerit hanc Antiphonam in Miſſam, Antonius de Mocar.tom.4.cap.15.tribuit Cæleſtino; ſed Gem.lib.1. cap.90. & Hugo Victor. de Eccleſ. off. lib.2. cap.11. referunt in Gregorium. S. verò Thom. 3. p. q. 83. art. 4. hunc ritum deducit ab Hymno dicto à Chriſto, & Apoſtolis poſt cœnam, & ſecundum Innoc.III. lib. 1. de Miſſ. cap.10.& Alexand. Alenſ.4.p. tract.de Miſſ. par.3. ſignificat, & repræſentat gaudium Apoſtolorum de Chriſti Domini reſurrectione, & ſecundum Gabr. lect.80. in can. miſſ. & Durand. vbi ſupra cap. 56. num. 1. & 2. cantatur in ſignum gratiarum actionis lætitiæ, & gaudij de ſuſcepta communione, iuxta illud Prophetæ in pſalm. 41. In voce exultationis, & confeſſionis ſonus epulantis, panem videlicet Angelorum, per quem in Chriſto corporamur, vt ait S. Cyrill. Alexand.Cath. Myſtag.

Dices,

Digitized by Google

Dices, quare quando legitur verſiculus iſte communio defertur liber à ſiniſtra ad dexteram?

Reſpondeo id fieri ad ſignificandum quemadmodum Chriſtus Dominus à mortalitate ad mortalitatem tranſiuit, iuxta illud Apoſtoli ad Rom.cap.6.Mors illi vltra non dominabitur. Eſt igitur communio gratiarum actio, vt cecinit Dauid in pſal. 21.Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, ideſt, pauperes Spiritu humiles, & mites guſtabunt, & comedent cibum, corpus Chriſti, quod eis in Sacramento dabitur abſconditum,& ipſi cum laude gratias agent nutritori ſuo Deo, vt exponit Titelman.ſupra expoſitionem dicti pſalmi.

De Collecta nouiſsima, quæ poſt Communio dicitur. Cap. XX.

LECTA præfata Antiphona,Communio, Sacerdos oſculatur Altare, ad ſignificandum ſe firmiter credere, & conſenſum præbere his, quæ circa ſacrificium peracta ſunt, poſtea ſalutat populum, & his in fine Miſſæ dicitur, Dominus vobiſcum; quia, vt ait Lopez lib.2. cap.19.§.1.cupit Eccleſia,ne diſcedentes ab Eccleſia longe fiant à Deo, & deinde redit celebrans ad dextrum cornu Altaris ad ſignificandum, quod in fine mundi poſt mortem Antichriſti, Chriſti Domini prædicatio reditura eſt ad Iudæos; tunc enim conuertentur, & reliquiæ Iſrael ſaluæ fient, vt clamat Iſaias. Sacerdos igitur eleuatis manibus vltimam orationem dicit, quæ propriè poſt Communio appellatur, in qua, vt plurimum rogat, & gratias agit Deo de Sacramenti perceptione, & vocatur hæc nouiſſima oratio poſt Communio, quia olim poſtquam celebrans Corpus, & ſanguinem Domini ſumpſerat, à Clero, & populo, ſacra ſumebatur Communio, & deinde ſuccedebat precatio, qua Sacerdos pro omnibus Deum exo-

rabat

Digitized by Google

rabat; vnde factum eſt, vt ea oratio poſt Communio dici cœperit; idem docet Microlog. cap. 19. quam orationem, etiam collectam appellat ordo Romanus. Ad complendum earum titulus in Sacramentario Gregoriano reperitur. Vualfrid. cap. 22. benedictiones appellat has nouiſſimas orationes, quæ pro communicatis dicebantur; vt ait Microlog. cap. 21. eo quod in fine Miſſæ tunc temporis nulla alia dabatur populo benedictio. Quæ quidem oratio Ieſu Chriſti orationem repræſentat; qui pro nobis, quotidie apud Patrem interpellat, vt ait Apoſtolus ad Rom. cap. 8. Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Significat etiam hæc poſt communio quemadmodum Apoſtoli poſt Domini Aſcenſionem in oratione perſeuerauerunt, qua ratione peracta, Sacerdos iterum ſalutat populum, ad inſinuandum, quod Chriſtus Dominus poſt ſuam reſurrectionem bis legitur ſalutaſſe Apoſtolos, vt legitur apud Io: cap. 20.

In fine huius orationis Sacerdos claudit librum manu dextra, itaut pars libri clauſi reſpiciat Calicem, Sacerdotis enim eſt claudere, & aperire illum, quoniam aperuit initio librum Miſſalem idem Sacerdos.

De Ite Miſſa eſt. Cap. XXI.

SACERDOS dicta nouiſſima collecta, & ſalutato populo, ſignificans, quod dictũ eſt ad Apoſtolos: Hic eſt Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in Cælum, vt Act. c. 1. poſtea complet Miſſam his tribus modis, videlicet, vel per Ite Miſſa eſt, vel per Benedicamus Domino, vel per Requieſcant in pace, quam vis olim in dimittẽdo populo dicebatur: Ite in pace, vt refert Pinellus in tract. Miſſ. p. p. cap. 15. fol. 163. & ijſdem verbis vtebatur Clemens Vualdenſis. to. 3. tit. 4.

tit.4. cap.44.nu.7. hunc ritum deducit à Chriſto, qui in fine Cænæ, inquit; Surgite eamus hinc. Scribit Radulphus propoſ. vlt. Ite Miſſa eſt, fuiſſe inſtitutum à Leone, quod tamen habetur in liturgia S. Petri, & expreſsè in Conſt. Apoſt. lib. 8. cap. 23. Sed populus non diſcedit, neque diſcendere debet, niſi prius à celebrante benedictionem ſuſcipiat; ità ſtatuitur in cap. conuenit, de conſecr. diſtinct. 5. terminatur igitur per Ite Miſſa eſt, quotieſcunque in illa dicitur Hymnus Angelicus, quaſi dicat Sacerdos, Redite ad propria, quia Miſſa, ſeu hoſtia ſalutaris oblata eſt pro genere humano, & quod officium Miſſæ finitum eſt, vel Ite poſt Chriſtum, & ſequimini illius veſtigia; non enim eſt in terris ſtandum, ſed ad patriam bonis operibus feſtinandum, quod facile poteſt fieri, quia Miſſa eſt hoſtia ſalutaris ad placandum Deum Patrem, per quam hoſtiā fracta ſunt tartara, & Cælorum introitus reſeratus, & dum dicit: Ite Miſſa eſt, vultum vertit Sacerdos verſus populum, quia dimittit, & cum illo ſermonem habet ex Microlog. c. 46.

Secundo modo completur Miſſa per Benedicamus Domino, videlicet in profeſtis diebus, & generaliter quando in Miſſa non dicitur, Gloria in excelſis, quod eſt ſumptum vel de Apoſtolo, vel de Pſalmiſta, vel de Hymno trium puerorum, vbi dicitur Benedicamus, Patrem, & Filium, & dicitur Benedicamus Domino verſus altare, quia ibi peculiari modo Dominus adeſt ex eodem Micrologo vbi ſupra.

Tertio in Miſſa Defunctorum dicitur: Requieſcant in pace & verſus altare: quia ſermo eſt de abſentibus, vt Gauant. loc. cit. tit. 11. lit. L. & dicit celebrans Requieſcant in pace, ſemper in num. plurali, licet pro vno celebretur Miſſa, vt nimirum liberētur à pæna, & vt in æterna requie conquieſcant defunctorū. huius ritus meminit Durand. lib. 4. cap. 47. Sed antea mentionē fecit Stephanus Eduenſis de Sacram. altar. cap. 18. & vt finis huius offitij reſpondat principio, in quo defunctis æterna poſtulatur requies, & quia Miſſa pro illis ſingulariter applicatur, idcirco in eius principio, medio, & in fine requies in pace æter-

na adoptatur, dum dicitur Requieſcant in pace, & reſpondetur, Amen, ideſt fiat quod poſtulatur.

Notandum eſt, quod in abſolutione poſt Miſſam defunctorum, vt bene aduertit Gauan. par. 2. tit. 2. lit. C. Diaconus debet genuflectere Cruci, quam portat Subdiaconus; omnes enim inferiores miniſtri ad differentiam celebrantis cruci genuflectere tenentur, vt expreſsè patet in tit. 4. nu. 7.

De Benedictione nouiſsima. Cap XXII.

DICTA ſub ſilentio à Sacerdote oratione illa, Placeat tibi Sancta Trinitas &c. cuius meminit Microlog. cap. 22. benedicitur populus, de qua benedictione indicium eſt in liturgia S. Petri, & in lib. 8. conſt. Apoſt. cap. 23. & expreſsè de ea mentionē facit Hieronymus ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, & Microlog cap. 21. illius benedictionis verba explicans, ait, ideò datur benedictio, vt qui non communicatus diſcedit, ſaltem à Sacerdote benedictus recedat, & habetur de conſec. diſtin. 1. Cum ad celebrandum, ex conc. Aurelianen. 1. cap. 28. & Agath. cap. 47. eadem diſt. Miſſ. Hæc nouiſſima benedictio, benedictionem illam deſignat, quam dedit Dominus noſter ſuis charis Apoſtolis in die ſuæ Aſcenſionis, vt ſcripſit Euang. Luc. cap. 24. & eleuatis manibus ſuis benedixit eis, forſitan ſuper eos ſignum Crucis formando, & verba aliqua benedictionis proferendo, vt & ipſi idem alijs facerent; ſignificat etiam hæc benedictio ſuper populum Spiritus ſancti miſſionem, quam Chriſtus Dominus in Cælum aſcendens, de Cælo in Apoſtolos miſit, vt ipſe eis promiſerat apud Io: cap. 16. Ita Innoc. III. lib. 1. de Miſſ. cap. 14. & Durand. lib. 4. cap. 59. art. 1. & 2. quæ benedictio per verbum oris, & ſignum Crucis exprimitur, quoniam miſſio illa ſancti

Spiri-

Digitized by Google

Spiritus per ſonum aëris, & linguam ignis innotuit, quoniam factus eſt repente de Cælo ſonus, tamquam aduenientis Spiritus vehementis, & apparuerunt illis diſpartitæ linguæ, tamquam ignis, act. cap. 2.

Significat tandem huiuſmodi benedictio nouiſſima vltimam illam benedictionē, quam daturus eſt Dominus electis, dicens apud Matth. cap. 25. Venite benedicti Patris mei &c. quæ finalis benedictio deſumpta eſt à veteri teſtamento: Iacob enim in ſuæ vitæ fine benedixit filijs, vt legitur in Gen. cap. 49. & Moyſes antequam moreretur, benedixit populo, vt habetur in Deut. cap. 33. quam benedictionem dare non debet Sacerdos preſente Epiſcopo, niſi illo iubente, vel permittente iuxta decreta Conc. Agath. can. 30. & Damaſ. Papa Epiſt. con Epiſc. vt declarat Microlog. de Eccl. obſer. vbi ſupra dixi, non debet, ſed poteſt; quoniam ſecundum Heronymum, Presbiter populum benedicere poteſt, qui Chriſtum non metuit conſecrare, & benedicitur populus, vt cæleſtibus repleatur donis, & in bonis contra omnes hoſtiles aduerſitates cuſtodiatur, præſtante hoc diuina maieſtate Sanctiſs. Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Antequam vlterius progrediamur, aduertat Sacerdos hoc Sacrificium Miſſæ ab ipſo celebrandum eſſe quatuor cum ſequentibus literis A.B.C.D. hoc eſt, Alte, vt audiatur. Breuiter, non vltra mediam horam, vel paulo vltra, vt Scortia lib. 2. cap. 19. Clare, vt omnia verba integre proferantur. Deuotè, vt attendatur ad ea, quæ dicuntur, & Gauant. p. 3. tit. 11. n. 13. addit his lit. E. exacte ſeu exquiſite, exacte vt fiant omnia, quæ in Rubricis præſcribuntur, & ſic in honorem quinque vulnerum Chriſti: vt inquit ipſe Gauantus.

De Euangelio S. Ioannis. Cap. XXIII.

TANDEM poſt benedictionem, niſi peculiare Euangelium ſit legendum iuxta Rubricas legitur Initium Euangelij ſecundum Ioannẽ,& id fit ad maiorem populi illuminationẽ;in illo enim noſtræ fidei duo præcipua continentur myſteria; Trinitatis videlicet, & Incarnationis,cuius Euangelij in liturgia S.Petri hæc verba reperiuntur in fine. Deinde plenitudo legis,& Prophetarum,ex quibus patet, quod legebatur aliquid;immoGuilielmus Lindanus Liturgiam citat D. Simeonis Syracuſani ante annos 800. Verum apud quoſdam fuit in vſu lectio S.Euangelij,vt inquit Durand. lib.4. Bene igitur, & valdè conſentaneum eſt, vt peracto ſacrificio Miſſæ, de illo fiat mentio, quod fuit origo huius, & ceterorũ cæleſtium donorum, quæ in Eccleſia habentur, nimirum Verbum Incarnatum. vide Suarez p.3.diſp.38.ſect.1.Ne igitur tãti Euangelij expoſitionem prætermittamus, dicendum eſt. In principio,ideſt in exordio temporis,quo facta ſunt omnia: Erat idem in ſubſtantia:Verbum,ideſt Vnigenitus Dei filius:Et Verbum erat apud Deum, ideſt iuxta, & intra Patrem,tamquam indiuiduum, & inſeparabile ab eo; Et Deus, hic ſumitur Deus ſubſtantialiter, & abſolutè, vt ſit ſenſus, Verbum erat Deus. Hoc verbum erat in æternitate,& ante omnia creata apud Deũ Patrem tamquam coæternum eidem, cuius erat verbum. Omnia per ipſum facta ſunt, quiquid mente concipi poteſt à tota Trinitate, cuius opera ad extra ſunt indiuiſa per ipſum Verbũ, quod conceptus diuini eſt intellectus, & omnia creata facta ſunt,ideſt vniuerſæ creaturæ tam corporales, quam ſpirituales, Cælum, Terra, Mare, & quidquid cæli ambitu continetur creata ſunt. Et ſine ipſo diuino, & æterno Verbo factum eſt Nihil,hoc eſt nulla penitus res citraDeũ,vel nullũ peccatum,ni-

mi-

Digitized by Google

mirum ens indeficiens. Quod factum eſt, in tẽpore, ideſt omne creatum. In ipſo Verbo vita erat, ideſt vitaliter, atque intellectualiter ab æterno fuit. Et vita ex ſapientia erat, etiam lux non ſenſibilis, ſed intellectualis. Hic vita ſumitur perſonaliter pro hypoſtaſi verbi, ſeu ipſo verbo ſubſiſtente vita, hoc eſt Verbum Dei viuens, & vitæ principium Hominum, non omnium rerum, non quorumcumque animalium, ſed hominum, quoniam homo ad imaginem Dei factus rationalem habet mẽtem, per quam illuminari poteſt; Et lux iſta, videlicet Verbum, de quo in pſalm. 35. In lumine tuo videbimus lumen. In tenebris, ideſt naturæ humanæ, quæ ex ſe tenebroſa eſt & lumine carens. Lucet, hoc eſt inter perfidos Iudæos conuerſatione, prædicatione, & ſignis refulſit. In tenebris lucet, hoc eſt, in cordibus impiorum ſuæ gratiæ lucem effundit, & tenebræ, ideſt homines nebuſis peccatorum obtenebrati, & excæcati, eam lucem, & gratiam à Deo ſibi collatam Non comprehenderũt, Vnde Chriſtus Dominus ad eos inquit in Io: cap. 8. ſermo meus non capit vos. Fuit homo, non Angelus ſed homo viuens, ideſt Ioannes Miſſus à Deo, præcurſor humanati Verbi, Cui ex particulari Dei priuilegio Nomen erat Ioannes, quod interpretatur gratia Dei. Hic enim Propheta Venit, nimirum à latibulis eremi ad loca publica prædicando, & baptizando, In teſtimonium Chriſti Domini, vt teſtimonium perhiberet dictis, & factis, De lumine, ideſt de filio Dei in mũdo veniente, ſeu Chriſto nato: Vt omnes, primo Iudæi, deinde Gentiles omnes indifferenter, quoniam apud Deũ nulla eſt perſonarum acceptio, Crederent in filium Dei. Per illum prædicantẽ, & teſtificantẽ, Non erat ille Ioannes, Lux principalis effectiuẽ lucens, ſed erat Lux inſtrumentalis diſpoſitiuẽ illuminans, & illuminata: Sed, vt teſtimonium perhiberet, miſſus erat, De lumine illuminante, & per eſſentiam, ſicuti eſt Chriſtus Dominus. Erat lux vera, hoc eſt non participata, aut defectiua, ſed plena, & ſubſtantialiter clara. Quæ illuminat, quantum in ſe eſt, Omnem hominẽ, quia nullus ſine illo illuminatur, Venientem in hunc mundum, ideſt

qui

Digitized by Google

qui per natiuitatem ingrediuntur orbem terrarum, non quod homines præfuerint in alia vita, vnde venerint, vel quod animæ fuerint creatæ ab initio mundi, ſed quod animæ nomine, homines ab extrinſeco per creationem veniunt. In mundo erat, ideſt in toto ente creato: Erat hæc lux, ideſt totum mundum à principio ſuæ creationis impleuit, cum ſit infinita. Et mundus, videlicet, cælum & terra, & quidquid Cæli ambitu continetur. Per ipſum verbum factus eſt, creatus eſt, immediate ab vnigenito Dei filio. & mundus, hoc eſt peruerſi, & excęcati homines, Eum non cognouit, quia malitia eos excæcauit, dicebant enim apud Io: cap. 9. Nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt: In propria, non ſolum in mundo, ſed in Iudæam, quæ peculiariter Dei terra dicebatur, Venit filius Dei, & Meſſias per incarnationem deſcendens: Et ſui, hoc eſt, Iudæi ad cultum Dei ſpecialiter deputati: Eum pro Chriſto Non receperunt, ſed negarunt coram Pilato & homicidam eis dari petierunt. Quot quot autem, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles Receperunt per fidẽ charitate formatam, Eum, vt Deum, & hominem, Dedit eis poteſtatẽ, hoc eſt idoneitatem, ſeu gratiã efficacem per Spiritũ ſanctũ, Filios adoptiuos ipſius Dei, & æterni Patris fieri, vt ſint cohæredes per gratiam, His, qui credunt in nomine eius, & fiunt membra eius per fidem formatã, & nomen eius Emmanuel confitentur. Qui non ex ſanguinibus, ideſt non commixtione ſeminum maris, & fœminæ. Neque ex voluntate carnis, ideſt concupiſcentia ſenſualitatis, vel fœminæ, quæ nomine carnis exprimitur. Neque ex voluntate viri, ideſt cõcupiſcientia partis rationalis: Sed ex Deo per baptiſmũ ex aqua, & Spiritu ſancto, Nati ſunt, renati denuo, Et Verbum, ideſt, Dei filius, Caro, ideſt verus homo, non in vnitate naturæ, ſed vnitate perſonæ, & ſuppoſiti; Factum eſt, aſſumendo humanam naturam ad propriam perſonalitatẽ, vt docet D. Thom. 3. ſent. diſt. 7. ar. 1. & hoc loco ſumitur pars pro toto, caro videlicet pro toto homine iuxta pſal. 64. Ad te omnis caro veniet. Et habitauit in nobis, viſus eſt in terris, & cum hominibus conuerſatus eſt, habitu inuentus, vt homo: Et vidimus

Glo-

Digitized by Google

Gloriam eius, ideſt magnificentiam miraculorum ipſius, & claritatem, quam habuit in trāſfiguratione. Gloriam quaſi vnigeniti à Patre, ideſt quale videri decet, & eſſe in vnico, & naturali filio æterni Patris, Quaſi non denotat hæc particula ſimilitudinem, ſed veritatem, Plenum gratiæ non ſolum ſecundum diuinitatem, ſed etiam ſecundum humanitatem, intenſiuè, & virtualiter: & veritatis, quatenus in Chriſto fuit veritas diuina ſiue increata per vnionem diuinæ naturæ, quatenus omnium futurorū, quę Deus cognoſcit notitia viſionis, notitiam habuit, & quatenus figuras omnes adimpleuit. Deo gratias In fine huius Euangelij reſpondetur, Deo gratias quod ſignificat Apoſtolos regreſſos cum gaudio magno in Ieruſalem, vnanimiter perſeuerantes in oratione, & quod pro beneficio noſtræ redemptionis, cuius myſterium in Miſſa repræſentatur, debemus in continuâ gratiarum actione perſeuerare, & dicitur hoc loco, Deo gratias ad differentiam primi Euangelij, quod Chriſti prædicationem denotat, vltimam autem Apoſtolorū prædicationem, ex Ruix in ſuo Cæremoniali, & vt ait Auguſt. Epiſt. 39. ad Paulinum, participato tanto Sacramento gratiarum actio cuncta cōcludit.

Quibus omnibus abſolutis Sacerdos deſcendit ante infimum gradū Altaris, & ibi in medio vertens ſe, ad illud caput inclinat apertū, ſicuti initio Miſſæ in eodem loco, veneratus eſt Altare, & crucē, capite diſcooperto, & eſt eadem ratio: & decet, vt vbi poſuit, ibi etiam recipiat biretum; qua reuerentia facta, ſeu genuflexione, ſi adſit Sanctiſſimum Sacramentum, & accepto bireto à Miniſtro caput cooperit, & redit ad ſacriſtiam interim dicens antiphonam trium puerorum cum cantico, & alijs orationibus ex Conc. Toletano 4. cap. 13. vbi hoc iubetur ſub pœna excommunicationis ex Radul. propoſ. 23. quæ tamen hodie non ligat. peruentus tandem Sacerdos ad ſacriſtiam non ommittat debitam reuerentiam imagini, quæ ibi reperitur. Cum igitur, fauente Deo, ad metam peruenimus, ipſi Deo, qui tantum nobis donauit Sacramentum ſit laus, honor, & gloria per infinita ſæculorum ſæcula.

Hæc

Digitized by Google

Hæc ſunt, benigne Lector, quæ circa ſanctiſsimæ Miſſæ ſacrificij declarationem ex ſacris litteris, ſacris Concilijs, & probatiſſimis doctoribus, ſanctiſque Patribus, quos pro tenuitate mea videre potuerim, & quid de his lucubrationibus ſit ſtatuendum, ipſa Sancta Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia viderit, cuius iudicio, correctioni, & cenſuræ nos, noſtraque omnia libenter ſubijcimus, & ſi quid ſit dictum, quod illi aut repugnet, aut non conſentiat, eſto indictum.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICVS

Deciſionum omnium, quæ in hoc Syntagmate continentur.

A

ABLVTIO manuum quando cœpit. pag. 128
Acceſſus Sacerdotis ad Altare ſignificatio. 84
Actio Chriſti in cruce rigoroſè non dicitur Miſſa. 1
Æthiopes proferunt ſuam liturgiam propria lingua ſcriptam. 7
Alba quid ſignificat. 68
Albinus auctor Miſſarum B.M. in Sabbato, 93
Amictus quid denotat. 64
Altare non debet eſſe vacuum, & cur deoſculatur. 78
Altare debet eſſe lapideum. 10
Altaris conſecratio quantum durat. 12
Amen quæ vox. 87
Annulum non geſtet Sacerdos dum celebrat. 34
Aqua intra calicem eſt de neceſſitate præcepti. 43
Aqua cur benedicitur, & non vinum. 126
Aquæ, & vini ſignificatio. 82

B

BENEDICTIO veſtium ſacerdotalium non poteſt delegari ab Epiſcopo. 109
Benedictionis nouiſſimæ ſignificatio. 194

Benedictus qui venit &c. à quo additum. 137
Birretti ſignificatio. 72
Burſa quid denotat. 75

C

CALICES antiquitus ex diuerſa materia conficiebantur. 36
Calicis nomen multipliciter vſurpatur. 158
Calicis materia. 36
Campanula cur pulſatur in eleuatione corporis, & ſanguinis Chriſti. 155
Candelabra, & candelæ quid ſignificant. 84
Canonem quis inſtituit, & cur incipiat litt. T. 142
Cera quid ſignificat. 81
Commemoratio viuorum. 148
Commemoratio defunctorum. 58
Cõmunicans in crucis formã manus cõponere debet. 188
Communionis antiphonam quis introduxerit. 190
Corporali, palla, & purificatorio notabiliter immundis vti. p.m.eſt. 41
Corporale quare tale dicitur. 73
Corporis, & ſanguinis dominici eleuatio. 155
Crux cur ponitur in medio altaris. 80
Crux quoties exprimitur in Miſſa. 84
Crux cur ſummum Pontificem quo ierit procedit. eod.
Cuſſini ſignificatio. 82

De-

Digitized by Google

D

DEFVNCTI an poſſint ſuis orationibus nobis prodeſſe. 62
Deo gratias vnde. 52
Diaconus quare ſumit librum de altari. 117
Dominus vobiſcum vnde emanauit. 52
Domne, & non Domine cur dicitur. 117
Domine non ſum digna, non debet à Monialibus dici. 188
Dona nobis pacem à quo. 183

E

EBRIVS quando eſt beneficio priuandus. 29
Et cum ſpiritu tuo; vnde. 98
Epiſcopus cum ſalutat quare dicit: pax vobis. 96
Epiſtola à quo iuſſa legi, & cur ante Euangelium. 105
Euangelium in Miſſa legendum quis curauit. 52
Euangelium quare auditur capite nudo. 117
Euangelio lecto cur Sacerdos oſculatur librum. 119
Euchariſtiam porrigens quid agere debet, & quid ſuſcipiens. 188

F

FERIA V. in Cœna Domini cur Altaria nudātur. 79
Fideles quando non tenentur audire Miſſam in feſto Annunciationis B.M. 16
Flectamus genua quid inſinuat. 98
Flectamus genua dicto, cur ſtatim reſpōdetur leuate. 102

G

GELASIVS compoſuit Gradualia. 109
Gloria in excelſis quis auctor. 92
Gloria Patri &c. quando omittitur in Miſſa. 89
Graduale cur cantari ſolet mæſtum. 109

H

HORA celebrandi. 15
Hoſtia vnde dicitur, & quomodo eſſe debet. 76
Hoſtia quare frangitur. 180

I

IEIVNIVM ieiunij quid ſit. 31
Innocentius III. compoſuit Orationem A cunctis. 103
Ite Miſſa eſt fuit inſtitutum à Leone. 193
Introitus à quo habuit initium. 49
Introitus quaſi Miſſæ proemium appellatur. 88

K

KYRIE eleiſon qui primi introduxerunt, & vt nouies in Miſſa diceretur quis auctor. 49
Kyrie eleiſon verba magnam habent efficaciam. 91

L

LAVRETANA in æde B. V. ſemper dicitur Gloria in excelſis in Miſſis votiuis de B.M. 94
Liber Miſſalis neceſſarius in Miſſa. 26

Locus

Locus celebrandi Miſſam qui. 10
Lumen in Miſſa debet eſſe cereum. 25

M

M*ANIPOLVS vnde ſuam traxit origenem.* 69
Mappæ, ſeu tobaleæ quot requiruntur. 22
Materia conſeruanda in Miſſa neceſſaria. 43
Miniſter debet eſſe vir, & neceſſarius ad celebrandũ. 28
Miniſtri canendo Epiſtolam, vel Euangelium in peccato mortali, peccant mortaliter. 108
Miſſa cur in die, & non in nocte celebratur. 15
Miſſæ nomen multifariè ſumitur. 2
Miſſæ prohibitæ. 35
Miſſale cur defertur ab vna parte ad aliam. 81
Moniales ad Miſsã ſolemnẽ poſſunt à choro reſpondere. 28

N

N*ICASIVS, & alij cæci doctiſſimi euaſerunt.* 33
Nobis quoque peccatoribus. 59

O

O*CTO quæ altare præparant.* 22
Omnes Presbyteri debent communicare in Cæna Domini. 16
Oratio Dominicalis à quo fuit vſurpata. 173
Oratio cur non dirigitur ad Spiritum ſanctum. 103
Orationes quis compoſuit, & limauit. eod.
Orate fratres quis inſtituit. 53
Oſanna interpretatio. 137
Oſculatur Altare quoties in Miſſa. 88

Palla

Digitized by Google

P

PALLA quid ſignificat. 74
Papa nomen cum nominatur quò inclinatur. 147
Patena materia. 40
Patena quid denotat. 73
Pax Domini &c. 97
Pileolo non eſt vtendum ſine Apoſtolica diſpenſatione. 34
Prothonotarij veſtes Sacerdotales benedicere nequeũt. 20

Q

QVINQVE Verba conſecrationis cur hic numerus. 154

R

REGES an in Canone nominandi. 147
Rotunditas hoſtiæ, patenæ, & calicis quid. 76

S

SACERDOS celebrans in loco interdicto fit irregularis. 10
Sacerdos an poſſit celebrare vbi eodem die celebrauit Epiſcopus. 13
Sacra antiquitus fiebant in altari ligneo. 11
Silentium Sacerdotis quid ſignificat. 133
Sylueſter Papa ſolemni ritu primus celebrauit. 10
Subdiaconus lecta Epiſtola cur librum clauſum Sacerdoti repreſentat. 107
Surſum corda. 54

Ta-

Digitized by Google

T

TABELLA ſecretarum, ſeu Charta Gloriæ. 26
Tabula lapidea quomodo eſſe debeat. 11
Tapeti ſignificatio. 82
S. Theleſphorus auctor hymni Angelici. 92
Tractus vnde dicitur, & quis inſtitutor. 122
Tractus quid ſignificat. 113

V

VASA ſacra, & ſimilia non ſunt conuertenda in vſus profanos. 21
Verba conſecrationis Chriſti ore Sacerdos profert. 155
Veſtium Sacerdotalium numerus. 18
Vicarij Generales quomodo debent celebrare. 25
Vocis eleuatio quid ſignificat. 172
Vrbanus I. calices argenteos, & aureos inſtituit. 37

Z

ZACHARIAS Papa iuſſit ne velato capite celebretur. 34
Zepherinus Papa decreuit calices vitreos. 37

Erro.

Fol.	Verſ.	*Errores* legitur	*Corrigendi.* lege.
7	1	filc	illi.
6	37	Neronem	Heronem.
18	3	meridiæ	mediæ.
40	10	vix	ius.
42	24	Amalorio	Amalario.
48	7	in propria	in prima.
51	32	Amalanus	Amalarius.
52	21	Durandus	Durantus.
67	23	dono	domo.
68	17	Alucinus	Alcuinus.
68	29	dicat	dicit.
78	1	Altares	Altare.
83	6	ſignificantur	ſignificatur.
		flos illi	flos ille.
85	1	fact	facit.
95	13	vt	aut.
96	12	Belard.	Belarm.
98	16	VIV.	IX.
99	25	habet	habetur.
100	11	Orientes	Orientem.
102	32	nobis	vobis.
105	1	fractis	finitis.
110	10	diceres	dices.
112	24	Parrum	Patrum.
119	26	laudamur	laudamus.
123	11	reſpiciatur	deſpiciatur.
128	1	pſalmus	pſalmum.
137	14	naſcitur	naſcetur.
139	5	Venatus	Verratus.
140	2	ad hac	ad hanc.
141	21	finctum	finitum.
145	26	grara	grata.
153	9	benedicit	benedictione.
153	10	formam	firmam.
154	3	donaret	denotaret.
155	9	conuerſio	conſecratio.
156	9	Mexa	Meſſia. ſuperfluit var. lect.
165	6	ipſis	ipſos.
170	22	præmiauit	præmiaret.
171	23	pone	pane.
173	27	vnde	vide.
175	26	fiat	fiet.
176	2	Planterium	Palanterium.
176	26	Probæ	Proba.
189	28	Amolar	Amalar.
193	32	reſpondat	reſpondeat.
195	3	diſpartitæ	diſpertitæ.
197	15	nebuſis	nebulis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google